

J. B. FRANCESIAE

DE JOANNE BOSCO

COMMENTARIUM




S
1
D
154

AUGUSTAE TAURINORUM

OCIETÀ EDITRICE INTERNAZIONALE

Corso Regina Margherita, 174

Catania - Milano - Parma





Venerabilis Joannes Bosco

J. B. FRANCESIAE

DE JOANNE BOSCO

COMMENTARIUM



AUGUSTAE TAURINORUM
SOCIETÀ EDITRICE INTERNAZIONALE
Corso Regina Margherita, 174

Catania - Milano - Parma

PROPRIETÀ RISERVATA
DELLA SOCIETÀ EDITRICE INTERNAZIONALE

Torino, 1922 — Tip. della Società Editrice Internaz.

TIBI
JOANNI CAGLIERO
CARDINALI
ET TVSCVLANO EPISCOPO
SEXAGESIMVM SACERDOTII ANNVM AGENTI
VNIVERSA SALESIANORVM FAMILIA
INCREDIBILI LAETITIA GESTIENTE
EGO J. B. FRANCESIA SAC.
QVI LONGVM VITÆ CVRRICVLVM
TECVM TRANSEGI
ET DIVINO MVNERE
SACERDOTIO SIMVL INITIATVS
EODEM PERFEVOR JVBILLEO
COMMENTARIVM DE JOANNE BOSCO
PARENTE SVAVISSIMO
IN AMORIS ET VOLVNTATIS MEÆ ARGVMENTVM
LÆTO ANIMO ATQVE LVBENTI
OFFERO

AUCTORIS DECLARATIO.

Ut decretis super Canonizatione Sanctorum ab Urbano VIII P. M. et a S. Rituum Congregatione editis mordicus adhaeream, solemniter fateor, omnibus in hac opella a me exaratis, eam tantummodo fidem atque auctoritatem esse adtribuendam, quae testibus fide dignis ultro conceditur, cum minime praeire velim iudicium Sanctae Romanae Ecclesiae, cuius, Patris ad exemplum, memet observantissimum filium esse libenter glorior atque gloriabor.

Augustae Taurinorum, Idibus Junii MCMXXII.

NIHIL OBSTAT.

CAROLUS SALOTTI
S. Cons. Adv. S. R. Congr. Adressor.

IMPRIMATUR.

C. FRANCISCUS DUVINA
Provic. Gen.lis.

JO. BAPT. FRANCESIA SACERDOS

Lectori P. S. D.

En tibi, candide lector, altera brevis de Joanne Bosco enarratio, et plenior quidem et in parvula capita commodius digesta. Etiam si multi, omnibus temporibus, post eius obitum, de illo viro conscripserint, et alii alia omnino ratione scribere consueverint, facturum me quoque operis pretium omnino non dubito. Tibi enim de eo scribere ut mecum de eo cogitare, summa pectoris necessitas est, et in primis grati animi pignus. Propterea eius memoriam pueris in aevum tradere atque prorogare in deliciis est, in quorum utilitatem atque salutem, multos atque adsiduos sustulit labores, et quoad ei vita suppeditavit, ab eorum commodo conquirendo numquam destitit. Quo facto nihil mihi dulcius accidere poterit atque optatius, quam ut ipsum posteris iterum quomodocumque tradam.

Ita enim eximia bonitatis significatione ipse vel a pueris me devinxit, ut eum semper in oculis habeam neque a latere eius discedam. Quo nomine, ut aliquod extaret testimonium amoris in eum mei gratique animi, tum verbis tum scriptis, sive italico eloquio sive latino, exaratis adlaboravi, eoque contendi, ut exteri quoque egregium virum cognoscerent, et vel obiter innumeras rerum series, quibus incubuit. Quo enim modo apud Gallos Carolus

Franciscus Lhomond olim fecit, et mira stili simplicitate historiam sacram alumnis ita enucleavit, ut omnes, et nostra aetate, intelligentioris iudicii viri purissimam eius scribendi rationem admirati, ii potissimum, qui prima latini sermonis fundamenta ponunt, cupide perlegant, et manibus eius volumen adsidue etiam nunc terant, sic pro Italis consilium fuit, Deo adiuvante, Epitomen conscribere, qua summam rerum historiam, quibus ille operam navavit, breviter exponerem, quaque interpretandi copiam simul et immortalis viri notitiam studiosis suppeditarem.

Qua quidem in re huc omnino spectavi, ut politissimum, pro viribus, latini sermonis exemplar adolescentibus nostris exhiberem. Quo facto haec narratio, primum planior, mox difficilior ad interiores et reconditas litteras pedetentim et gradatim puerorum animos praeparabit. Utinam vero quemadmodum patres nostri Gallicum scriptorem adamarunt, ut nullus ferme puer occurrat, qui in eo interpretando dulcissime non fuerit versatus, antequam ad scriptores, quos classicos adpellant, accederet, ita tu amore potissimum erga suavissimum virum incensus, diurna eius vitam manu et nocturna versare consuescas. Hoc te volebam, candide lector, nec diutius te alloquar. Ut vero hanc perbreve rerum eius enarrationem aequi bonique facias, etiam atque etiam rogo.

Vale.

Dabam Aug. Taur. an. MCMXXII.

DE JOANNE BOSCO

COMMENTARIUM

I.

Joannis infantia.

Joannes Bosco humili loco natus est anno millesimo octingentesimo quinto et decimo, apud Castrum novum in Astensibus. Pater eius, agricola, vocabatur Franciscus et mater Margarita Occhiena. Fratres habuit Antonium et Josephum maiores natu. Amisso patre, sanctissima genitricis disciplina et domestica consuetudine excultus est. Joseph et Antonius exemplum patris secuti, pene pueri agellos paternos coluerunt et, more maiorum, agricolae fuerunt. Joannes vero egregia animi indole praeditus, a prima aetate pietatem adamavit. Ita se omnibus probabat, ut inter sacrorum alumnos aliquando adnumerari dignus videretur.

II.

Prima virtutis indicia.

Joannes, etiamtum puer, cum, materno consilio, pecus ad pabulum propelleret, a pravorum exemplis abhorrens, aequales ad pietatem pro viribus excolebat atque ad virtutem. Quare, mira prudentia, ita sese gerere consueverat, ut a se atque a sociis omnia quae obscaena essent aut lubrica excluderentur. Ut vero suos verbis optimis facile oblectaret, occasionem nactus, in medium exempla sanctorum ferebat, eosque honestis ludis inter operandum delectabat. Sicque eorum saluti mirum in modum prospiciebat. Quod cum iis placere videret, diebus festis, ea lege ludos quosdam instituit, ut illius vici incolae ad diversandum convenirent, atque ita procul a perniciosis moribus, omnium commodo puer admirandus indulgebat.

III.

Quomodo suos ad pietatem excolit.

Postquam adolevit, quo melius vicinos sancte haberet, sacris in aede caeremoniis absolutis, in area ante domum, ludis alibi de industria arreptis, indulgere consuevit, ne male ipsi tempus tererent, neu vino quoque nimio dediti, in Deum delinquerent. Nihil puero gratius erat atque acceptius, vel a teneris unguiculis, quam socios divinam legem docere, et omnes ad rectum virtutis tramitem perducere. Et saepe, dum cuncti studiosius in unum ludorum exitum contendunt, ludis ipse apte interruptis, vel preces devote fundebat, vel quae forte paulo ante in sacris concionibus arripuerat, et iuvenili quadam arte reminiscebatur, vel e penu suo proferebat, ad omnium commodita-

tem repetebat. Cum esset puer decem annorum, Caprilli, qui vicus est haud ita longe, domi, apud Sacerdotem antiquae pietatis et continentiae, in legendo exerceri solebat. Adeo vel a teneris religionis et studiorum cupiditate flagrabat.

IV.

Mirum pueri somnium.

In eius moribus atque actibus lucebat pudicitia et castimoniae comes, nitor gratiae, unde etiam a matre plusquam ceteri filii diligebatur. Erat puer novem circiter annos natus, cum hoc somnium divinitus somniavit. Dormienti visus est praesens adesse vir augusta maiestate conspicuus, qui traditis ei puerulis, dixit: « Curam illorum habe! »

At puer, rei novitate commotus, illacrimans dixit: « Quomodo id faciam? »

Tunc ille vir: « En mater mea, quae te amanter docebit. Illius ergo disciplinam sequere! »

Ob eius oculos puer subito est alacer suum opus adgressus. Cum vero rustice se gereret, et male pueros haberet, qui propterea rudes eum tractabant, mulier illa, admirabili mansuetudine, monitum eum voluit, longe aliter corrigendos esse, quos ad bonitatem effingere vellet. Tu, ait, summa caritate eos corripe, et manu veluti paterna ad virtutem dirige. Hanc tibi artem in primis commendo, et tu etiam atque etiam in hanc incumbe.

V.

Ob fratris invidiam domo excedit.

Sic, Deo favente, omnia prospere Margaritae cedebant, cum primum res adversae exorsae sunt. Erat domi Antonius, altera matre natus, qui etiamsi

uno altus eodemque more educatus, numquam tamen Joannem aequo animo ferre poterat. Ad haec eius somnia in malam partem inique vertebat et somniatorem lividis oculis respiciens, semper aspernabatur. Cum fratris invidia in dies cresceret, mater, ne peius quid accideret, neu domus perpetuis questibus quodammodo misceretur, optimum factu duxit, filium dilectum e sinu suo aliquantulum removere. Qui, Dei voluntati obtemperans, at plurimis lacrimis, relicta matre domoque paterna, puer tredecim annorum, fame compulsus, invitus apud colonos servitutem praebiturus peregre abivit.

Sic quem gentes adpellabunt orphanorum patrem, aliena in domo, manibus sibi panem comparare nititur.

VI.

Domino diligentissime inservit.

Joannes, Dei voluntati obtemperans, hilari vultu necessitati inservit, et sua sorte contentus, miram in opere perficiendo prudentiam et sedulitatem exhibuit. Pro viribus enim rem suam curabat, et summo mane, piis e more precibus ad Deum elatis, nunc agellum fodere, nunc pecus ad pascua agere, nunc ad alia id genus opera incumbere in deliciis habebat. Diebus autem festis, postquam sanctissimis religionibus rite esset perfunctus, egregiam operam in pueris sacra docendis navabat. Omnibus videbatur in omni officio diligentissimus. Quidquid ei otii erat a curis, vel legere pios libros consuevit, vel templum petere, ut sacra illic cum populo perageret. Pius erat insuper, et miserorum inopiam, e domini licentia, identidem levabat. Brevi itaque

adeo virtutibus ac prudentia dominis suis adprobabatur, ut omnia quaecumque vellet ex suo ingenio facere posset. Sic Deus puerulo in omnibus benedicebat.

VII.

Studiorum causa Cherium contendit.

Hoc labente tempore, Antonius, ubi primum e pueris excessit, domum paternam deseruit. Tunc Joannes, restituta ita domi pace, ad suos alacer rediit. Et mater, ad caelestem pueri vocationem respiciens, nihil antiquius habuit, quam ut is ad intermissa studia denuo incumberet. Primum consulto ad scholas Castrinovi quotidie itavit, postea in proposito sancto persistens, Cherium missus, latinas litteras est adgressus. Hic sub optima magistrorum disciplina, ita celeritate ingenii ac diligentia in omnium exemplum eluxit, ut facile inter aequales princeps renuntiaretur. At unice ad caelestia spectans, cum in studiis totus esse videretur, numquam ab animarum salute conquirenda destitit. Namque mirabilem admodum se exhibuit, quia rebelles socios patientiae restituit, aberrantes egregia fide compescuit, et maxima rerum et hominum prudentia exemplar resplenduit.

VIII.

Litteris incumbit et amicos ad salutem quaeritat.

In scholis, dum alacriter litteris incumbit et ingenio ac sedulitate magnam sibi a magistris laudem comparat, pietati indulgebat ac munera officii sui diligentia honestabat. Meminisse iuvabit, hoc

tempore labente, rerum inopia compulsus, ut hospitium haberet, operam suam, horis subsecivis, homini praestitisse, cui erat taberna potionis ex arabicis fabis. Sollers tamen, industrius, maximique consilii, strenue sociis navavit, rebusque amicorum pro viribus, fidissimus, obviam comitatem exhibebat, et maiora de se in dies portendens acceptus omnibus erat. Ad haec quo facilius ab otio, diebus feriatis, quibus a schola abstinebantur, socios revocaret, coetus eo consilio ad diversandum agebat, moribus et ludis tutandis, in locum haud procul ab urbe. Ita, faventibus omnibus, mirum in modum, adolescentulis indulgebat. Iisdem temporibus, Deo adiuvante, israhelitam puerum, a se quadam morum suavitate adlectum, christiana sapientia erudivit, eique ut baptismum acciperet suavit.

IX.

Quibus artibus suos a periculis arcet.

Ut pueri, quibus suam studiose operam navabat, frequentiores die Jovis potissimum diversuri convenirent, loca petere amoeniora solebat, ibique novum in dies ludicrum excogitabat. Verum, praeter omnium opinionem, complures e parentum consensu, hora conducta, locum antea adsignatum adibant. Mirissane ingenii artibus curabat, ut illic tute recrearentur, quorum praesidio advigilabat. Impense enim adlaborabat, ut omnes amiculi, alienis studiis posthabitis, secum diversarentur. Ut enim nostra aetate, fieri solet, juvenum Circulos, quos vocant, ut sociorum gaudium cum honestate procurent, ipse unus, temporum ingenia praesagiens, alacriter invexit. Quadam die, ut fama perhibet, cum circulatorum, qui a se nonnullos removere videbatur, de ludis contendit.

Et cursu primum, deinde saliendo provocavit, demum quis in arborem sublimius ascenderet. In omnibus superior mirabiliter enituit. Hac una poena eum mulctavit, ne in posterum Cherium veniret. Ad haec, bonis artibus fovendis, sodalitates inter grandiores constituit, ut praeclariora ingenia, proposito certamine, ad elegantiam in scribendo comparandam educeret, atque suavissimos poetarum locos vel historicorum certatim recitare iubebat. Alii, diversis locis, in laudem Beatae Matris Mariae devotos geminant cantus, alii sacro eam Rosario precantur, et qui acriori ingenio excellunt, memoriter elegantiores cantus italice referunt.

Hinc factum est, ut aliquando ipsi praeceptores, honoris gratia atque aemulationis, acerrima haec pueris incitamenta procurarent.

X.

Sacrorum alumnus ad meliora tendit.

Anno millesimo octingentesimo tertio et trigesimo, Castrinovi, in maiori templo, post vespertinas preces, admirantibus incolis, per curionis manus, sacrum habitum solemniter induit. Exinde veluti voti compos, maiorem in modum rebus divinis incubuit. Et mater, cum sero domum rediit, filium sic liberrime monuit: « Vestem nunc sacram geris, vide ne quid a sanctis moribus alieni in posterum facias! » Et ipse, reliquis autumnalibus feriis, profanis vacuus curis, tempus, vel dum umbratili vita delectabatur, et in quotidiano opere transigere integre cogitavit, et diebus festis, puerulos in pietate exercere. Diebus autem profestis, relictis identidem libris, nimis ne mens occupatione gravaretur, in illiberali aliqua arte incumbere studuit. Sic sellas domesticas conficere consuevit, et mensulas,

quas memet vidisse puerum memini. Ad haec multum operis in aedibus aptandis posuit; vestitus, calceamenta sibi facile accommodavit. Adeo in opere insistere religio ei erat.

XI.

De Aloysio Comollo.

In serendis amicitiiis usque prudentissime se gessit. Suapte ingenio ad minores natu semper se conferre consuevit. Cum iis enim facilius virtutem communicare, bonos mores infundere, puriores serere sermones, se posse animo reputabat. Intimius tamen ac confidentius prae ceteris cum Aloysio Comollo, castissimis moribus puero mitique ingenio, miram sanctamque amicitiam inivit. Quem vero in ipso aetatis virtutumque flore, Cherii, in seminario, crudeli morbo interemptum, et omnibus febilem amare luxit, et candida scriptiuncula posteris tradere studuit. Quem sanctissime in terris coluerat, diu multumque a Deo petiit, ut beatas ei reseraret caelitem sedes. Rem magnam equidem narro. Post tres dies, divinitus cognovit amicum inter caelites receptum felicissime fuisse. Singulari quidem pietatis studio ac sanctissimis operibus in exemplum enituit. Diligentiam et moderationem professus, comitatem unicuique obviam virtute mirifice cumulavit. Placidus ad caelestes advolavit vix vicesimum annum agens.

XII.

Ad Pacis non habebis pacem.

Antequam progrediar, haud abs re esse puto, si quaedam praefatus dixerim. Diu multumque Joannes mente cogitavit, quid in futurum ageret,

utrum, scilicet, clericus domi maneret, an e suis egressus, alicui religiosae societati nomen daret. Quo facto, cum primum e scholis grammatice atque humaniorum litterarum laudabiliter excessisset, enixe a Deo postulavit, ut quid esset ipsi agendum declararet. Interea dum studiis ac pietati indulget, vacuus mundanis curis, animi magnitudinem, humana despicientis, exhibuit. Namque, quo securius Deo adhaereret, in Minorum sodalium familiam ingredi cogitavit. Deus vero per visum in somnis eum ab re detinuit. Iuvat equidem conceptissimis verbis ad exponere. Quadam nocte, postquam recte ac rite cognovisset, divino se afflatu esse instinctum, inter dormiendum audire visus est: « *Ad Pacis non habebis pacem!* » Cherii enim templum est Beatae Virgini dicatum, cui nomen est inditum a *Pace*, ubi adolescens paulo ante postulaverat, ut inter sodales franciscuales inscriberetur. Sicque, omnibus dubiis positis, militiae sacrae nomen alacriter dedit.

XIII.

In Seminario.

Seminarium, ut constat apud omnes, est in praesentiarum domus iuventuti in ecclesiae spem instituendae. Joannes hoc mente alte sibi persuasum habuit, illic pietati in primis cum litteris sacris indulgendum esse. Quo nomine, horis subsecivis, postquam breviter animum cum sodalibus relaxaverat, data opera, cum familiarissimo suo sacrarium tacite adibat, ut ad Augustum Sacramentum ferventiores preces effunderent, vel sacrum B. V. Rosarium recitarent. Pueri quoque, quos antea foris ad virtutem studiose excoluerat, amoris gratia gratique animi identidem eum invisebant,

neque ab antiqua consuetudine recedebant. Quod quidem in pueris mirum admodum est, qui leves sunt ingenio et mobili mente. Saepius vero in scholarum feriis, ad ipsum veluti ad salutis portum confidenter redibant. Inter clericos comis et navus, vel inter deambulandum ad litteras respiciens, modo scholasticas praelectiones in usu repetebat, modo in verbis difficilioribus explanandis, quae passim in libris occurrunt, ingenium periclitabatur. Ut vel rerum pulcritudinem, ex ipsa sententiarum elegantia, aliquando a communi mentis intelligentia remota, clarius exprimerent, vel ecclesiae sapientiam magis admirarentur, etiam atque etiam studium adhibebat. Quapropter eius familiaritas suavis et levis, dum animum hilarabat, mutua ingenii utilitate virtutem cumulabat. Videbatur insignis patientiae et fortitudinis documentum. Ad haec, eius exemplo plures in diem sacra de altari libabant. Sic ad maiora vocatus omnibus adparebat.

XIV.

Sacerdotio initiatur.

Labente anno millesimo octingentesimo primo et quadragesimo, cum omne fere Theologiae curriculum emensus esset, a Rectore seminarii ex more poposcit, ut in sacros ordines promoveretur. Quod, honoris gratia, omnibus suffragiis ei permissum fuit. Atque adeo, cum egregiam in sacris exercitationibus rite obeundis operam cum aliis navaret, divino veluti spiritu afflatus, sodales, qui secum sacris initiarentur, monendos censuit, ut illud a Deo peterent, quod omnium optatissimum putarent. « Solet enim Deus, inquit, sacerdotium ineuntibus dona concedere, quae sacro muneri exercendo maxime inserviunt. Cum autem christianae

sapientiae vis omnis in verbis sit et omnia eloquentiorum hominum esse credantur, optimum esse puto, si mihi, verba ad populum facienti, probabilem virtutem adtulerit ». Sacerdotio auctus est mense iunio. Hanc gratiam copiosam ei atque opportunam a Deo adtributam, omnes mecum facile profitebuntur.

XV.

Gravissima matris monita.

Sacris primum est Augustae Taurinorum operatus ad S. Francisci Assisiatis, ubi vitam agebat Joseph Cafasso, praeclarissimum illud omnium virtutum exemplar, municeps suus, quemque supremum conscientiae suae arbitrum proposuerat. Quo die solemniter Corpus Christi celebrabatur, magnis rite caeremoniis civiumque plausu sacrum Castrinovi agere constituit. Sub vesperum eius diei, cum res actas animo grato volveret et paternam domum ingrederetur, matri in ipso limine occurrit, quae, postquam est ei gratulata ob munus divinum acceptum, hoc addidit: « Nunc, fili, quod diu optasti, dedit tibi Deus Omnipotens. Es sacerdos! Nostine quid hoc nomen significet? Tibi adlaborandum esse maxime docet et mala omnia toleranda, ut par sis muneri tuo! Totus igitur esto in rebus sacris, nec iam velim matrem pluris aestimes. Conare in primis Deo placere, ne pecuniae inhaveris, neu meas res in posterum curare cogites. Hisce enim brachiis, ut antea, quae sunt vitae necessaria exhibebo ».

Filius, obortis lacrimis, adamussim matri se obtemperatum promisit. Brevi post tempore, multa pectore volvens, magnaue Dei omnia perfecturus, Augustam Taurinorum petiit.

XVI.

**Ad Sancti Francisci Assisiatis.
Bartholomaeus Garelli.**

In hac urbe ad sancti Francisci Assisiatis erat Ephebeum sacerdotum, qui nuper sacris initiati, pietate et morum disciplina formabantur, dūce ac praeceptore Josepho Calasso, cuius virtutes Subalpinorum nomen renovarunt. Huc se contulit, ut supremam Theologiae Moralis studiis manum alacriter imponeret.

Quo die, totus terrarum orbis Beatam Virginem omnino culpaes nesciam ab origine honorat, recens sacerdos, sacrum acturus in sacellum S. Francisci ingreditur. Puerum, qui ei obvius forte fuerat, sic hilari vultu compellat:

« Qui vocaris?

« Bartholomaeus Garelli.

« Qua domo es?

« Natus sum Astae Pompeiae.

« Novistine sacro inservire?

« Nescio, pater.

« Mane hic paulisper, amabo. Omnia tibi tradam ». Aedituus, rudis in primis et manu promptus, eum sibi ignotum ibi videns, flagellis tundit ut e loco expellat. Quod ubi animadvertit pater, obtestatur, ne hoc in posterum faciat, atque interea eum quaeritet atque ad se reducat acceptissimum amicum. Haec narrans pater, arrepta occasione, nos identidem monebat, rem suam inter flagella fuisse natam, iisdemque semper crevisse ac dilatatam.

Sacro exacto, eum benigne iterum habuit, eique prima divinae scientiae rudimenta tradidit. Hic primus est omnium puerorum, quos rite accepit pater, atque, ut ita dicam, est operum fundamentum quibus in posterum divinitus incubuit.

XVII.

Puerorum coetum adpellat Oratorium.

Sequenti die festo, Bartholomaeus Garelli, una cum aliis sociis, ad sacrarium ex condicto rediit. Quos cum hilari vultu ac comiter Pater accepisset, ita eos sibi facile devinxit, ut semper ad eius latera sistere vellent. Puerorum numerus in dies crescit, et omnem pene sacelli angulum occupat. Hic puerorum congressus, cum illorum imaginem referrent, quos sanctus Philippus Neri in urbe invexit, eodem vocabulo *Oratorium*, ex voluntate Patris, est adpellatus. Quo facto, suos monitos voluit, in precibus modo atque divino auxilio, rem suam inniti, coalescere ac vigere. Brevi post tempore, cum favente Deo, adcurrentium puerorum numerus in immensum crevisset, fructus haud paenitendos ferre illico coepit. Ad omnia alacer promptus erat in suorum commodum. Insuper carcere detentos, eximiam magistri caritatem secutus, complexabatur, multosque adolescentes ad meliorem frugem redegit. Bona spe omnes fovit, egenis liberalitate, pro viribus, adest et dubiis consilio; et vultus mansuetudine omnium animos praecoccupat ac dominatur. Mirum sane, quod unus tot puerorum ingenia possidet, quocumque potest ea facile deducere. Nam mirabilem virtutem Deus in homine posuit, ut singulariter uno eodemque tempore, omnia doceat, omnia sustineat, omniaque assequatur.

XVIII.

Ad Nosocomium a Marchionissa Baroli condictum. — Nova in quiete apparitio.

Interea in eundem locum cogi haud amplius possunt pueri, qui innumeri undique conveniunt, et strepitu, et juvenili quadam iactantia, vocibus,

et ipsa pietate, quietem devotorum deturbant, qui S. Franciscum adire adsolent. Quare necessitas in primis adfuit aptiorem locum alicubi quaerere. Ei autem, in re tam gravi cunctanti, auxilium Dei praesens fuit.

Tunc temporis in urbe Taurinensium capite, pietate atque munificentia inclarescebat Julia Colbert Marchionissa Baroli, quae, haud ita multo ante, Nosocomium puellabus curandis tutandisque, aere suo excitaverat in vico, cui est nomen *Valdocco*, atque ad septemtrionem spectanti. Huc itaque se contulit Pater, ut in rebus sacris munere praepositi fungeretur. Hic, iuvat in medium referre, quod nobis saepe Pater narravit. « Cogitanti mihi, quomodo opus mihi oblatum perficere possem, et una simul pueros ad pietatem colere, visa est in somnis mirabilis illa Matrona, quae saepe mihi adparuerat; quae sereno vultu partem illam septemtrionalem urbis, manu demonstrans: — « Respice, inquit, et vide! » — Ipse stupens videbam ob oculos multa animalia, quae numerare haud possem. Haec cum commotus conspicerem, mirum in modum, iam suam formam mutantia, alia alia ferebant. Erant enim agni mansueti, qui mox fiunt et pastores, et multi, qui sub eius imperio, praeter omnium opinionem, ad meliorem frugem se recipiebant. — « Vade, inquit mater, et quod vidisti, factum puta ».

XIX.

Pueros primus novam arithmetices rationem docet.

Ante aedium fores, quas incolebat, est satis longum intervallum sed angustum: hinc inde parvulus sed opportunus murus. Huc, proximo die festo, alumnos ex composito primum ad diversandum

cogere statuit, quotquot a S. Francisco advenerant, et complures recentiores e circumpositis locis, rerum novitate adlectos. Multae res simul ei agendaerant. Insita Subalpinorum animis industria est, et advenientibus temporibus novis, pueruli, qui interdiu opere assiduo distinebantur, sub vesperum frequentiores ad patrem disciplinae causa conveniebant. Omnis locus in diversorio schola erat, et quamquam exiguus, iis sufficiens erat. Cum recens in scholis ordo inveheretur de mensuris et ponderibus, qui magnam puerorum mentibus ac vulgi conferre confusionem videbatur, ipse mirum in modum, ad omnium commodum, opellam exaravit, qua clarius omnino rem explanaret, quaque, quonam modo antiqua ponderis ratio cum recentiore indicaret. Hoc quoque nomine, pueri frequentiores adnumerabantur, atque obedientiores eius dictis in omnibus praesto erant.

XX.

Errat per diversa urbis loca et apud Valdoccum sistit.

Pater, dum de rebus externis cogitare admodum videtur, ad vitae sanctitatem omnia consilia factaque dirigit. Longe alia omnino eius mens est, qua semper et in omnibus ad Deum tendit et suos manu ducere studet. Ardua vero in primis difficultas occurrit, quomodo scilicet pueris in munere sacro obeundo consulere possit. Ubi vero paenitentes pueros accipiet? Ubi sacris operaretur? Demus exigua est et vix sacerdotibus satis apta. At necessitas urget, et conclave pro sacello aptatur. Sic primum, ut Jesus in Bethlehemitico specu, parvo loco humilique, res illa oritur, quae, labentibus annis,

Deo adiuvante, in omnibus orbis terrarum partibus, magnifica templa eriget, novoque cultu exornabit, atque amplissima suppellectile extruet.

Commodiorem aedem sperans, ab urbis Municipio impetravit, ut diebus festis suos duceret post meridiem ad S. Martini, ubi pistrina publica erant, et deinde ad S. Petri in Vinculis. Sed omnibus hisce locis turpiter exactus, prata quaedam pretio tandem conducere statuit. Ita divinitus propius sedibus illis accedebat, ubi in aeternum mansurus erat. Namque hinc quoque brevi post tempore expulsus, dum maxima cura ac sollicitudine secum ipse anxius cogitat, quam ratione suis provideat, vir quidam, nomine Pancratius Suave, ei locum alium locandum haud ita longe proponit.

XXI.

Prima rerum perturbatio.

Neque deerant, qui homines in eum atque in rem suam incitarent. Multi enim undique simul, alii alia causa, quasi signo dato, adversus illum insurgere, calumniis tentare, florentem eius rem inhibere. In his, acrius curiones ipsi civitatis adstiterunt, qui praeter omnium expectationem, consiliis eius oblectari coeperunt, queritantes, quod eius causa complures curiae aedem deseruissent. Verum Aloysius Franski archiepiscopus, pietate ac fortitudine insignis, auctoritate sua *Oratorii* causam defendit et re atque consilio iuvat. Tunc Marchio a Cavour, praetor urbis itemque annonae curator, vicaria potestate, ratus, crescentem adolescentium frequentiam, clamore saepe et strepitu, timorem civibus iniecturam, ne, intercedente aliquo pravo consilio, quietem perturbarent, ad se Patrem accersi-

vit, eumque monuit, ne in posterum multitudinem puerorum advocaret. Ita saepe homines, optimo animo praediti et summa fide, nocent inscitia religioni. Alia vero de causa in rem publicam mala exoriebantur. Etenim iam eae periculosiores res hic atque illic apud nos adparebant, quae ab incautis ad multitudinem traducebantur, unde motus et seditiones, omniaque miserrima, quibus patres nostri interfuerunt, ominabantur omnes boni. Quo facto, actum erat de salutari Patris consilio, nisi Carolus Albertus adstitisset, qui virtute sua rem nostram proffigatam ac pene perditam restituit.

XXII.

Amens reputatur.

In gravem morbum implicitur.

Interea, cum saepius sereno vultu, inter loquendum, omnibus diceret de domibus mox aedificandis amplissimis cum porticibus, de templis extruendis et de pia hominum societate, quam instituendam esse praedicabat, ipsum nonnulli ob improbam adversariorum pertinaciam, mente captum esse dubitabant. Ac propterea, ne quid peius accideret, inter amicos consilium fuit, in hospitium hominibus mente alienatis recipiendis, eum misericordiam animo perducere. At eorum industriae belle atque ingeniose illudit.

Ex tot periculis nondum integer emergerat, cum maxima omnium calamitas irruit. Iam novas aedes gratulabundus inviserat, ibique iustam ac stabilem stationem se habiturum sperabat, cum improvisus morbus spem omnium interceptit. Omnes circum moesti pueri patri aegrotanti praesto adsunt, omnes lacrimis effusis acerbum funus lamentaban-

tur; ipse ad quietem et tranquillitatem unice spectans, futura placidissime praesagiens, suos de inito opere solatur, rem mansuram dictitans, mentem nostram periculis fractam, verbis bonis erigit et recreat. Iam non noster, medicorum sententia, sanctissimis religionibus perfunctus erat, et ingemiscentibus omnibus, in eo erat ut diem obiret supremum. Magna fuit omnium commotio, in primisque puerorum, qui enixa Augustam Matrem atque adsidua prece ambierunt, ut Patrem a morte eriperet.

XXIII.

De matre Margarita.

E diuturno morbo divinitus recreatus, paternam domum petiit, ut illic, puriore aëre refectus, inter suos convalesceret. Nec unus iam rediit, sed comes ei fuit mater, cui nomen erat Margarita, cum qua coniunctissime vixit. Haec enim, viro iuvenis orbata, aequo animo graves rerum conversiones pertulit, filiosque sanctissime educavit et aluit. In familia regenda providentiam et sedulitatem exhibuit, et actus matronali quadam verecundia honestavit. Prudens, benigna, tanta fuit in novam sobolem humanitate et cura, ut se ipsa ultro negligere videretur. Eam omnes, amoris, obsequii gratique animi causa, matrem adpellabant. Decem circiter annos cum filio vixit, Dei amorem, religionis studium cum perpetua in adoptivos liberalitate coniungens. Cum ad senectutem pervenisset, ingravescente morbo, sancta libavit, et laeta ad coelestes advolavit, nonis decembribus, anno MDCCCLVI.

Matri desideratissimae sollemnia pietatis cum Patre filii rite absolverant, ut Deus, arbiter hominum, pacem perpetuam impertiret.

XXIV.

Comites sibi adiungere studet.

Exinde, huc praesertim incubuit, ut damna repararet, quae *Oratorium* superioribus periculis pertulerat. Ei propterea, inter multa egregia non in ultimis laudum hoc illico fuit, animos confidentia refecisse, et omnia in operum commoda seposuisse, quae agenda maxime putabat. Eo consilio identidem ad scholas se se conferebat, ad Portam urbis Palatinam, quas haud ita pridem consilium civitatis instituerat, ut filii tunicati popelli erudirentur, sub disciplina sodalium, quos sanctus I. B. de La Salle constituit, et appellavit: *I fratelli delle Scuole Cristiane*. Multi enim ibi adolescentuli erant pietate conspicui atque litteris, quos adspectu suo sibi facile adiungebat, atque ut aedes suas advenirent suadebat. Eos autem, quorum egregia in Deum pietas declarabatur, socios sibi aliquando adiungere studet, atque ad vitae purioris exemplar atque optime in se animatos fingere. Hac in re nec improborum convicia, nec prudentiorum consilia expavit, nec instabile puerorum ingenium ab incepto deterruit; quinimo, certus cuilibet se obiectare periculo, in proposito persistens, sic ferente Dei voluntate, ad portum tandem pervenit. Ubi, si multa adversa fuerunt, maior virtus eius enituit.

XXV.

**Aedes extruit filiis alendis atque instituendis.
A Valdensium insidiis incolumis evadit.**

Anno octingentesimo secundo et quinquagesimo supra millesimum, primum sacrarium, sancto Francisco Salesio dicatum, magnis caeremoniis

et frequenti civium advenarumque conventu, aere undique collato, extruxit. Eodem anno, mense Augusto, incredibili ausu, aedes pueris alendis atque instituendis extruendas curavit. Quas novis semper accessionibus, Deo adiuvente, ad terminum perduxit. At fere eodem tempore, in vulgus edidit libellos, ut Valdensibus, patriae ac religioni perniciem molientibus, obstaret. Hi enim, vallibus suis audacter relictis, in quibus sapientia principum Allobrogum cohibuerat, irruentes in urbem olim caput regni, omnium civium quietem, per speciem religionis, perturbarunt. Libertina audacia praediti, in ipsam Ecclesiae maiestatem probrose cooriebantur. Calide libertate abutentes, nihil erat verendum, a quo temperarent, nihil tam foedum quod non admitterent. Ita, prolatis dissensionum seminibus, ferociores in Patrem impetum fecerunt, et paulum abfuit, quin eum interficerent. Quod quidem factum esset, nisi Deus, mirum in modum, e manibus improborum eum abstulisset. Ex improviso enim, magno ululatu, dentibus et unguibus in eos irrumpens canis, quem *grigio* vulgo adpellamus, incolumem servavit.

XXVI.

**Plurimos edit libros, mira eruditione
ac sapientia adprobatissimos.**

Pater, veritus ne prava Valdensium nequitia fidem Taurinorum inficeret, nihil antiquius habuit, quam ut scriptis et verbis religionem sacram tectam haberet. Ardenti pietatis studio, ut iuventuti facile consuleret, iamdiu ediderat librum suavisimum, cui est titulus: *Il Giovane provveduto*. Omnia ibi simul invenias, quae in pueris religionem foveant, quae mentem ad caelestia erigant, quae

fidem tam alte in pectore insinuent, ut non impiorum voce aut libris labefactari possit.

Historiam sacram, itemque ecclesiasticam, laudentibus annis, summa stili simplicitate atque venustate, enarravit.

Primus in Italis, populari dicendi ratione admiranda, in iuventutis commodum, Italiae historiam uberius audentiusque tractavit. Illa enim tempestate nonnulli scriptores Ecclesiae incolumitatem aspernati, perniciem nomini christiano vel in scholis minabantur. Multi quoque, civilem principatum Romanorum Pontificum oblaterantes, divinam religionis compagem convellere nitebantur, et ipse haud posse, sine convellentium exitio, profitebatur. Eo enim consilio, in vulgus libros identidem evulgabat, ut iura Ecclesiae recte servaret, atque improborum impotentiam frangeret. Sic filiis suis diligenter advigilat, ne quid incommodi, ex communi malorum contagione, accipiant.

Eius scribendi ratio, simplex et pura, admodum adprobata maxime placet, et ea nitet naturali sermonis elegantia, ut nihil hac in re perfectius, nihil iucundius, excogitare possis.

XXVII.

**Aedes in diem puerorum numero
et pietate florescunt.**

In aedibus apud Patrem, veluti domestica consuetudine excolti, complures alumni vitam agere consueverunt. Cum autem complures apud ipsum, vel inopia laborantes vel patre orbat, tamquam ad portum, se se conferrent, Oratorium auxit atque in meliorem formam reduxit. Novus iam rerum ordo renascitur, incredibili gestientes laetitia undique alumni conveniunt.

Alii enim litteris incumbunt, eo tamen consilio ut aliquando sacrae militiae nomen dent; alii liberalioribus artibus egregie operam navant. Omnia ad eius voluntatem fluunt, ipse recens a sacerdote omnia sustinet omniaque sapienter dirigit. Mirum in modum, eo duce et auctore multi virtute insignes adstiterunt, multique in scholis primas facile referre consueverunt. Ad haec, obvium nobis se offert egregium facinus. Anno millesimo octingentesimo quarto ac quinquagesimo, grassante in urbe asiatica lue, cum multi cives morbo mulcati occumberent, vestigiis Patris insistentes, sui securi, maiores natu aegros invisere coeperunt, omnique ratione, pro viribus et aetate, praesentem adlaborantibus opem ultro obtulerunt. Verum in tanta rerum hominumque perturbatione, Pater, divino numine fretus, propalam pollicitus est neminem e suis, dummodo nihil in Deum peccarent, pestilentiam esse passurum. Quam rem eventus feliciter comprobavit. Ipse vero filios, ob morbi acerbitatem parentibus orbatos, in aedes recepit.

Sic omnimode misericordia calamitosos iuvabat, ut in exemplum insignis pater orphanorum merito adpellaretur.

XXVIII.

Dominicus Savio.

In iis, qui hac tempestate, se se ad eius tutelam contulerunt, adnumerandus est Dominicus Savio, Ripae ad Cherium, humili loco natus, qui brevi vita usus, Mondonii in Astensibus sanctissime obiit. Hic, mitissimo ingenio et ab infantia pietatis et litterarum studio, iam de se non spem sed fiduciam dabat. Huic et illa fortuita aderant omnia, gratia vultus, vocis iucunditas, admirabilis mo-

rum suavitas. Sancto Aloysio, tum ob pietatem, tum ob singularem vitae innocentiam, omnes, qui eum novissent, uno ore comparandum esse profitebantur.

Quem sibi in primis in exemplar propositum, pietate et consilio est mordicus aemulatus. Eius autem forma, virtuti simillima, religione et suavissimo ingenio praeditus, carus omnibus, sub Patris disciplina ad altiora virtutis natus videbatur, et vitam in omnibus bonis artibus transigebat. Latinas litteras tam sollerter arripiebat, ut princeps inter aequales videretur. Scitus itemque pius, benignus, pectore candidus, amicorum commodis pro viribus inserviens, omnium sibi benevolentiam et admirationem brevi conciliavit.

Utinam vero diutius vixisset! At improbo morbo praereptus, vix quindecim annos natus, piissime Mondonii vitam finivit. Eius tamen cognitae virtutibus, multi adlaborare iamdiu coeperunt, ut beatorum caelitus honores ei decernerentur.

Omnes insolabiliter eum luxerunt, in primis ego carissimum alumnum lugeo et celerius restinctos tantae virtutis igniculos, qui praeclarum religioni lumen pollicebantur.

XXIX.

Funera in regia praesagit.

Saepius inter alumnos Pater versatus, mira animi simplicitate, arcana rerum humanarum secreta, liberrime cum suis communicabat; modo de rebus sibi futuris, modo de pueris qui morituri essent. In sacris concionibus assiduus, disertus, ne sui a recto tramite aberrarent, optimamque sibi vitam proponerent, confidenter et per omnes temporum vices, sermones serebat. Ne vero diutius hac in remorer, namque passim omnibus innotuit, illud prae-

ceteris memorandum putaverim, quod, ut pro re nata, suis olim narravit. « Hac nocte, inquit, in somnis regius quidam famulus, elegantiore veste indutus, mihi apparuit in cubiculo, et foribus leviter apertis, haec mihi verba solemniter protulit: *Fumus magnum in regia!* Nihil amplius; clauso ostio, evanuit. Quoniam optimi civis munus esse reputo, omnibus in rebus principem adiuvare eique pro viribus consulere, huiusce rei regem certiosem feci ».

Sed paucis diebus post, gravioribus equidem verbis, sic suos compellavit: « Meministisne quid antea dixerim de regio famulo funebria nuntiante? Idem noctu iterum adparuisse visus est et mihi haec dicere: *Haud magnum, magna* sed erunt funera in regia! » Quid sibi velit iteratus hic nuncius, quid divini referat, equidem nescio... Regem tamen litteris penitus admonui ». In regia vero illo tempore omnia prospere se se habebant. Verum mox per urbem vox gravis diffunditur: matrem regis Victorii Emmanueles II, improvise morbo correptam, magno in periculo versari. Ea brevi defuncta, uxor Regis, quae bona valetudine fruebatur, in morbum incidit, et sanctis religionibus piissime perfuncta, vitae finem placida adspexit. Tandem ipse Regis frater, qui in primo bello italico audacia in periculis capessendis inclaruit et inter ipsa pericula enituit, florente aetate, ingemiscentibus omnibus, sancte quievit. Quo facto verax futuri praesagus divinitus praedicabatur.

XXX.

Pius IX Pontifex Maximus.

Ut recte nosceret, utrum opus, ad quod hactenus egregie navaverat, divinum an humanum esset, optimum factu putavit Romam petere. Ea tem-

pestate ad rerum christianarum gubernacula se debat, vel inde a duodecim annis, Pius IX, qui mira Christiani Nominis laetitia pontificatum susceperat, et subito ab omnibus fuerat restitutor felicitum saeculorum appellatus humanique generis delictum. Regnum auspicatus, difficillimis temporibus, a motuum civilium oblivione, clementiae laude inclaruit omniumque admirationem sibi conciliavit. At cum seditio Romae orta esset, factiosis hominibus rem publicam obtinentibus, Caietam secessit. Pater, qui singulari reverentia Pontifices maximos prosequabatur, missis ultro parvis muneribus, Pio IX in re angusta versanti est opitulatus. Post aliquod tempus, universis ordinibus adclamantibus, in pacatam urbem triumphans est invecus. Perpetuus pacis auctor, domi otium et concordiam civium fovit, foris atrocia bella mitissimo ingenio pro viribus deprecatus est. Denique dies sacri Pontificatus benefactis in genus humanum collatis computat, homines autem faustis saepe ominibus et donis gratam voluntatem suam testabantur.

XXXI.

Romam primum invisit.

Labente anno millesimo octingentesimo octavo et quinquagesimo, Pater primum Urbem petiit. At ne quid historiae nostrae desit, quod recentioribus favere possit, haud iniucundum reputo me immorari quanam itineris ratione se se tunc Romam contulerit. Ab urbe enim Taurinensium ad mare Ligusticum per vias ferreis axibus constratas iter perfecit. Illic navem conscendit, qua Centumcellas appulsus, Romam essedo contendit. Mirum sane quibus fuerit honoribus affectus, etiamsi vix cognitus pervenisset. Ita enim vultus suavitate et dulcedine

eloquii coepit explendescere, ut facile clarissimorum virorum sibi amicitias conciliaverit. Etiam si certus esset religioni unice servire non sibi, et fortunae illecebras officio numquam posthabuisse, ita tamen se Pontifici Maximo probavit, ut saepe eum magnae benevolentiae significatione in Vaticanis aedibus receperit eique in primis carus atque acceptus fuerit.

Multorum Cardinalium benevolentiam lenitate et doctrina promeruit. Procul a deliciis, cum eo admodum contenderet, ut res suas curaret, bonorum suffragia, quasi meritorum fructum sollertissime impetravit. Adsidue quoque ex Pontificis Maximi consilio verba ad populum habuit, atque ita egregii oratoris famam est consecutus. Sapientia et usu rerum praestantissimus habitus, utque in urbe permaneret accitus, animum humana despicientem exhibuit, praedicans se Taurinum manere, ibique vitam agere.

Uno verbo singularem prudentiam professus, munus suum virtutibus cumulavit.

XXXII.

Magna haereticorum perturbatio.

In libris populariter scribendis, ad tuendam catholicorum fidem, nil melius atque commodius putavit, quam in vulgus edere res Pontificum Maximorum prioris aevi gestas atque ita eorum nomina in recentiorum memoriam revocare. Sicque eos strenuos catholicae fidei adsertores professus, ab adversariorum calumniis, quae per summum nefas illis iniicerentur, vindicabat. Id in primis laudabile grati animi signum in eos esse putabat. Qua de causa Pius IX P. M. summis laudibus opus Patris extulit, qui, acerrimus catholicae professionis

vindex, insigniter summis de eorum gestis conscripserat. In eius exemplum illos respicere iussit, qui Romanae antiquitati praeerant, eo consilio ut e veteribus documentis ampliore de illis memoriam eruerent, atque in Romani Pontificatus honorem ederent. Sic eum de suis esse decessoribus bene meritum etiam atque etiam praedicabat; pro quibus gratum ei animum profitebatur.

Ob huiusmodi volumina, in multorum perditorum odium ac contumelias incessit, qui iterum ei necem insidiose paraverant. At ipse ne instantis quidem necis periculo exterritus, animum sibi conscium recti in proposito placide confirmabat. Multi igitur lectores, qui calumniis haereticorum abrepti, a recto tramite erraverant, tunc divino numine tacti, abiectis erroribus, ad sapientiam catholicam redierunt. Sic ferebat Dei voluntas, ne adversa deessent, ubi virtus eius nitesceret.

XXXIII.

Bellum Gallorum et Subalpinorum in Austriacos.

Tandem magna suorum laetitia Taurinum petiit, ut, si ita dicere fas esset, maiore studio, religionis decori, morum inter iuvenes incremento atque egentium solatio, advigilantem se exhiberet. Ad pueros colendos se vocatum esse alacrius dicebat, eorum utilitati totum se tradidisse, et pro illis occumbere paratum se esse profitebatur.

Magnum interea bellum exarsit inter Subalpinos et Austriacos, ad vindicandam italicam libertatem. Tota enim Insubria cum Venetis, exacto imperatore Napoleone, restincto bellorum incendio, per superiores foederatorum pactiones, in alienam potestatem venerat. At compositis rebus, sub Carolo

Alberto, Subalpinorum rege, novi quotidie animi creverant, qui alia atque alia moverunt, donec in Austriacos invadere decretum est. Anno MDCCCXLVIII, exactis Austriacis Mediolano, Subalpinorum exercitus, ductu regis, semel atque iterum victoriam de hostibus retulerat, postea infaustis signis primum ad Custozam, postero anno ad Novariam, pugnatum est. Sed non omnis spes in animis fracta est. Italis enim iamdiu nihil erat antiquius, quam ut alienam dominationem abolerent. In hoc tunc omnes, qui bene Italiae cuperent consentiebant, hoc praeterea ab Gallorum imperatore petebant. Summa rerum apud Subalpinos obtinebat Camillus Benso a Cavour qui, cum externas regni rationes curaret, ingenio atque audacia, ad alta nimis et incredibilia omne studium conferebat. Eius potissimum virtus atque animi constantia, difficillimis temporibus in periculis superandis, enituit. Foedere cum Gallia inito, bellum atrox in Insubria adversus Austriacos exarsit. Galli ad Magentam prope Ticinum prius fortiter pugnaverunt, et mox ad Solpherinum et ad Sancti Martini una cum sociis insignem de hostibus triumphum retulerunt. Rebus tunc ad arma undique spectantibus, praeter omnium expectationem, Napoleo III, penes quem arbitrium pacis et belli erat, cum Austrorum imperatore indiciis factis, summa festinatione in Galliam rediit.

XXXIV.

Aedem Mariae Auxiliatricis extruit.

Nonnullae Italiae civitates, in veterem servitutem redactae, exactis principibus, se se in libertatem vindicarunt, atque in unum regnum coalescere coeperunt. At in novi Italiae regni exordio,

civium laetitiam immatura mors Comitis Camilli a Cavour abruptit. Ad haec, ob gravem Neapolitanorum seditionem, Italis nova rerum commotio ingruerat, recensque principatus prope ad interneccionem redigebatur. Dum haec foris aguntur, Pater longe alia quaerebat. Haud a me alienum in medium referre putarem, Patrem paulo ante scriptis Italos monuisse, mox incredibili civium luctu, obiturum esse virum, in quo totius civitatis salus niteretur.

In illis rerum asperitatibus, eo Pater magis in dies contendebat, ut, remotis periculis, subalpinam sobolem artibus erudiret, quibus ad humanitatem solet informari. His super, quo melius civium securitati atque pietati consuleret, templum ab inchoato construendum curavit, ex ingenio praescriptoque I. B. Spezia architecto, in honorem Augustae Matris Christianorum Auxiliatricis. Eo consilio aedem struere statuit, ut rei christinae maxime laboranti volens et propitia adesset, turbulentissimis tempestatibus, Virgo potentissima, cuius ope Christiani insignem de Turcis triumphum ad Echinadas insulas retulissent.

Ipsa Mater, perpetuis precibus exorata, devotorum fidem coelestibus muneribus cumulans confirmabat. Miro animorum ausu, post tres annos templum, magno civium advenarumque conventu ac solemnibus caeremoniis, est consecratum. De hoc autem opere Patris, fusius postea.

XXXV.

Romam iterum invisit.

Anno eiusdem seculi septimo et sexagesimo, Romam secundo contendere statuit. Consilia enim indignatus, quae, Ecclesiae iure, civium libertate, et reipublicae rationibus posthabitis, in dies agi-

tabantur de dissolvendis ordinibus sacris, memorabili ausu, novum religiosorum ordinem constituendum curavit, non dubitans quin nequidquam calumniarentur adversarii, germanae libertatis osiores. Ut piam societatem, cui antea summo studio incumbibat, Pontifex Maximus, auctoritate sua, ratam haberet et confirmaret, enixe postulavit.

Ad haec, Ei secreta quoque legatio commissa est, ab illis qui ea tempestate, rebus Itolorum Florentiae imperitabant, ut aliquando pacem et tranquillitatem Ecclesiae apud nos laboranti adferret; multae enim erant per Italiam ecclesiae pontificibus viduatae. Qua erat prudentiae praestantia et religionis, id effecit, ut restituta animorum concordia, ex sententia Summi Pontificis, Episcopi, adclamantibus ordinibus universis, in suas Ecclesias liberi inyeherentur.

Quo tempore senatus Italiae et oratores populares de sede Regni Romani traducenda vehementissime disceptabant, probantibus aliis quod destinatum iter ad urbem maturarent, Italis vero Pontifici Max. devotis de Urbe metuentibus, Vir Dei immortalem Romae magnitudinem defendens, literis primum, et mox ipse spem adtulit. Errorum tenebras verbis discutebat, veniam inconsultis hominibus precatus, qui religionis fundamenta incur sare non dubitarent.

XXXVI.

Magnis honoribus excipitur.

Incredibile dictu est, quibus honoribus exceptus fuerit, cum omnibus carus tum in primis Pio IX. P. M. Eum iam magna expectatio praecesserat, ipsam omnium expectationem eventus superavit. Multi enim undique eum ambibant alloqui sua-

vitae et virtutum ac pietatis nomine. Principes quoque Romani certatim divini hominis necessitatibus subveniunt, eum Patres Cardinales mirantur, cuncti et magno prosequuntur honore. Ipse, multorum nomine, detulit in Pontificis subsidium pecuniam, testatus numquam se passurum, ulla vi, a parente divelli. Mirum omnibus fuit eius studium erga Pium IX, tam fortia facientem et patientem, cui Itali et omnes catholicae sapientiae sectatores pecuniam ultro mittebant, ut rebus suis afflictis, aere collecto, subvenirent. Tanta fuit munificentissimi Pontificis liberalitas, ut quod aurum ad eius fortunam leniendam filii conferebant, res filiorum adversas sublevando, ultro ipse refunderet. Et Pater, in tanta rerum caritate, praeter opinionem, semel atque iterum suppetias a Pontifice largius impetravit.

XXXVII.

Omnes una voce sanctum eum praedicant.

Duos menses in urbe est versatus, in operis religionisque exemplum, et omnibus acceptissimus. Quoniam per vulgus effundebatur, Romam eum venisse, ut opes pro templo aedificando in honorem Augustae Matris Christiani Nominis potentis colligeret, plerique, quo securius eum alloqui possent, se suppetias allaturos esse dictitabant. Mirabile dictu! Ipsa Virgo, praesenti numine, ei adesse videbatur, quoniam omnes qui eum re adiuverant, fovebat saepius muneribusque cumulabat. Quin etiam in ipsos insigniter gloriosam Virginem beneficia coelestia effudisse testabantur. Qua de causa, magna undique piorum turba eum prosequabatur, et singulari quadam admiratione quaeritabat. Ex ipso vultu virtus egregia enitescere videbatur. Eius facies omnibus admiranda perpetuo hilaris,

rebus in bonis atque in arduis, aequam in utraque fortuna mentem servantis, ita hominum animes afficiebat, ut omnes una voce sanctum praedicarent, summisque laudibus ad coelum tollerent. Ad haec vox erat in populo singulari consilio divinitus futura saepius praespexisse, ancipitem potentiorum fidem prudentia praecavisse, atque multis praedixisse, ut tamdiu essent propositi tenaces, quoad proxime fortuna sereno patriae vultu arrideret.

Invicta fide Petrum, ardenti religionis studio Paulum referre ultro dicebatur.

Tandem voti compos, pio gratoque animo Pontificem veneratus, quod se talem ei parentem ostendisset, Roma profectus ad suos rediit.

XXXVIII.

Aedes Mariae solemniter dicatur.

Maxime fervet opus Augustae Taurinorum ad Templum Mariae Adiutricis exstruendum, magno animorum studio instant opifices ut, tempore condicto, operi supremam manum imponant. Dies tandem ab omnibus exoptatus adsurrexit. Quinto idus Junii, labente anno millesimo octingentesimo octavo atque sexagesimo, incredibili omnium laetitia, Octavianus Ricardi a Netro, Archiepiscopus Taurinensium, frequenti civium advenarumque adventu, rite dedicavit. Per dies octo solemnii ritu sacra fecerunt per ordinem Episcopi, et vice adsidua conciones ad populum habuerunt. Per idem tempus, universa gestiente civitate, pueri, quos Pater ad pietatem atque ad litteras colebat, Augustae Taurinorum, Mirabelli ad Sancti Evasii, et Lancei, sacro concinentes intererant, apta et solemnii musica, comitantibus fidibus et tybicinibus, ut nihil supra, prae temporum ratione.

Post meridiem, quingenti et amplius alumni, mirum in modum in tres choros distincti, Antiphonam in vesperis cecinerunt, quam suavissimis notis aptaverat Joannes Cagliero. Alter chorus cantorum ecclesiam, quae in terris pro aris luctatur, significat, ad matrem armorum potentem, quae gaudet vocari Auxilium Christiani Nominis, confugit, et salutem Italiae et gloriam Pontificis Maximi, in virtute sua confisi, enixis precibus poscit, ut deerantes, magnis acerbitatibus dilaceratos, ad Summi Pastoris ovile reducat. Alter vero ecclesiam fingit, quae Mariam, quam sanctissime colit, supplicat ut beatas ipsi reserat coelitem sedes; tertius denique, ut beati inter sidera recepti et triumphantes, a Virgine salutem, gloriam, refrigerium, pro adflictis efflagitent. Tanti operis auctor (1) summis laudibus accipitur, diuque eius memoria inter omnes mansit.

Ita enim musices auctor concepit animo eam amplitudinem M. Adiutricis templi, quae digna coeli terrarumque regina, quae salesiana familia, quae loci etiam illius maiestate esset.

XXXIX.

Quare aedem aedificavit.

Si tu a me forte quaeris quonam modo tam magnifice hoc ipsum templum construi potuerit, en responsum in promptu est. Ut hominum in

(1) Joannes Cagliero hic est, qui sacerdos et consuetudine Patris et sanctissima disciplina insignis, musices arte increscens, ceteris posthabitis, et nullis difficultatibus retardatus, missionarius novam regionem Americae Meridionalis, Patagoniam, ad pietatem excoluit. At in ipso aetatis flore, dum videbatur cum peritissimo sui temporis decertare, numeris musicis immortalem antiphonam aptavit, et immensum laudis emolumentum ab omnibus retulit.

terris peregrinantium conditio, gravis plerumque et multis miseris adfecta, aliquantisper levatur, adsiduo nobis ad Deum atque ad Augustam Matrem adcurrendum. Quum vero satis inter pios exploratum sit, faciles mortalibus ad Deum per Virginis potentiam aditus patere, eam per illos maxime dies, ex Patris consilio atque auctoritate, votis obtundebant, praesensque eius auxilium saepe multis oblatum novis in dies prodigiis declarabatur; quare mox Christiani ex universa Europa, Italique potissimum, stipem collatitiam mittebant. Ipse Pontifex Maximus, etiamsi tunc temporis innumeris periculis circumventus, coelesti patrocinio fretus, suppetias missitare festinabat. Multi a gravibus morbis recreati, nihil antiquius habebant, quam ut suae sanitatis vindicem eam salutarent. Alii cum ancipitem cernerent fatorum suorum viam, ut aliquando requiem curarum et laborum fessis animis haberent, eam adsiduis precibus ambientes, mox voti compotes, gratam voluntatem suam testati sunt.

XI.

Josephi Cotta insignis pietas.

Constat in primis apud omnes, in ipso rerum initio, Josephum Cotta argentarium, senatorem regni, aevo iam grandiolem, in gravissimum morbum implicitum, divina veluti virgula excitatum, illico invaluisse. Sic autem Deus voluntatem suam protulit. Cum enim dies mercedis absolvendae opificibus appropinquaret, nec quidquam Patri esset pecuniae, confidentius hominem adiit, graviter aegrotantem invenit. Ut aeger animos insumat, divina suffragante matre, hortatur, eumque mox valetudinem bonam accepturum pollicetur, dummodo

templo eius exstruendo subveniret. Quibus verbis subito refectus, paucis post diebus, alacer in publicum grati animi documentum, ipse per quatuor hebdomadas integram opificum mercedem contulit. Hoc fuit quodammodo aliorum signorum initium. Hinc illud patuit verissime dictum, neminem unquam ad Christi Matrem confugisse, quin voti compos abiret.

XII.

Quomodo Maria sibi templum extruit.

Quoniam ipse locus me monet, diutius hic maneo, neque abs re esse iudico neque iniucundum. Ex hoc enim tempore, ad templum Augustae Matris Opiferae, multi, veluti de compacto, tamquam ad salutis portum, conveniunt; qui verbis et muneribus gratum animum erga Matrem Augustam promere certant. Adsunt, qui graviter mox aegrotantes divino Matris auxilio, ex improvviso invaluerunt; adsunt caeci, qui ex insperato visum receperunt, adsunt praeterea, qui, saeviente indica lue, ingemiscentibus omnibus, Matrem divinam, rite precatam, morbum compescuisse ac salutem reduxisse adfirmant. Infinitae gratiarum votorumque significationes, mirum in modum adstant et votivae tabellae, ut omnibus compertum sit Deum supplicantium precibus adnuisse. Ibi propterea incredibili civium advenarumque frequentia festum colitur et, praeter omnium opinionem, solemniter fit sacrum et a praestantissimis oratoribus ad populum conciones habentur. Multitudo saepe piorum prope innumera, Patris sanctitate advecta eum, amoris gratia atque obsequii per integros dies pressabat atque urgebat.

Labentibus annis, cum religio cresceret, optimum

factu putarunt sacram imaginem corona auro gemmisque confecta redimire, eiusque signum solemnii pompa vicatim traduci, dum pegmata sub noctem incensa sunt et viae domusque urbis facibus cereisque collucescunt, et frons templi, recentiore electrico invento, mille flammulis splendet.

XLIII.

Ad Sancti Petri Arenarii apud Ligures.

Hisce annis labentibus, unum post alium, nulla prope interposita mora, nova pueris instituendis ephebea condidit. Ita eius apud nostros egregia in pueris instituendis ratio inclarescebat, ut multi excellentioris iudicii viri, eius alumnis publicas scholas alacriter permitterent. Ad Ligusticum mare uno eodemque anno tria simul ephebea, admirantibus cunctis, instituit: primum ad Alaxium, alterum ad S. Petri Arenarii, tertium denique ad Varaginem. In hisce regionibus, multis iam seculis, principem locum iure meritoque sibi obtinebant Sodales, qui a scholis piis nomen habuerunt, et Missionarii, qui sanctum Vincentium a Paulo patrem legiferum sequuntur. Verum, ob piorum hominum inopiam temporumque tristitiam, rariores in dies exstabant, qui, posthabitis humanis commodis, ad religiosas familias, veluti ad portum salutis convenirent. Patri in Liguriam advenienti, veteres ac strenui illi doctores, uno veluti corpore adsurgentes, obvii fuerunt, omniaque fausta adprecanti, hilari vultu hospitium praebuerunt. Rumor interea it ad urbes, per oppida fertur, labitur, brevi post tempore complures alumni undique adlecti adnumerantur, disciplina studioque in spem omnium crescunt.

XLIII.

Alaxii et Varagine collegia aperit.

Cum domus ad Sancti Petri Arenarii mirum in modum augetur, omnibus divinis muneribus cumulata, cura templi sancto Caietano dicati ad cultum restituti, delegata est sodalibus Salesianis. Hoc multis iam annis, hominum pravorum nequitia, in profanum usum cesserat, nec ulla omnino spes adfulgebat, cum, praeter omnium opinionem, vel in tanta rerum perturbatione, Pater, adnitente I. B. Magnasco, Ianuensium Archiepiscopo, aedes cum templo adeptus est, quas olim sodales Theatini elegantiori forma construxerant. Operibus deinde ampliatis et cultu addito, altare, lorica, pavimentum, aere collecto, facta sunt e marmore, cellaque Divino Cordi Iesu sacra, omni cultu exornata. Mirum interea quanto frequentiores illuc alumni itarent.

Quam ob rem Pater, ut iis potissimum consulere, qui, florente iuventa, vel temporum nequitia, vel parentum inopia, litteris incumbere haud potuerant, cursum litterarum peculiarem instituit, ad celerius idemque securius studiorum curriculum perficiendum. Omnes enim nec falso sperabant, tum optima doctorum disciplina, tum nova studiorum forma, ad recentioris seculi rationes exacta, alacrius se posse ad finem pervenire, atque ita quodammodo sero suscepta studia virtute cumulare.

Quod quidem eventus satis comprobavit.

XLIV.

Magna aedium accessio.

Labentibus annis, aedem sancti Caietani Archiepiscopus Genuensium curiae nomine et honore donavit, et unum e Salesianis curiae praepositum

rite renuntiavit. Novas interea aedes pueris alendis educandisque a solo excitavit, et nova aedium accessione, quas gens Duratia multa iam secula obtinebat, diaetis aptiorem in ordinem dispositis, cultuque splendidiore exornatis, addita hortorum pro pueris amoenitate, opus modice inchoatum, perficiendum in dies curavit. Alii litteris incumbunt, alii artibus egregiam operam navant, alii demum ad diversandum diebus festis alacriores conveniunt. Sic, quod aurum, ad puerorum fortunam leniendam Genuenses conferre consueverant, rebus filiorum adversis sublevandis, Pater ultro refundebat. Itaque illa urbs, quae praeter Ligurum consuetudinem, rerum nauticarum insigniter scientia callet, et ad mare unice navibus tendit, artibus intenta alacriori studio diu noctuque inservit.

XLV.

Latinos scriptores atque italos evulgat.

Ut pro viribus bello occurreret, quod iamdiu apud nos litteris latinis inferebatur, consilium fuit, electissimos scriptores latinos identidem in vulgus edere, eosque in discentium commodum perpetuis animadversionibus explanare. Quod quidem specimen et de claris christianae sapientiae scriptoribus est adgressus, indignum vehementer existimans, eos falso incusari, quod eorum eloquii simplicitas atque stilus, aliquando, artis grammaticae leges negligere videretur, cum, e contra, sequiore illa aetate, christiana solum doctrina oratores et philosophos enutriret, unde novus sapientiae rivulus, quasi incorruptus quidam succus et sanguis, in latinas litteras influxit. Hoc quoque nomine magni habitus est Pater.

Paullo post, in eodem proposito permanens, ut

puerorum saluti potissimum consuleret, ita mirum ferente animo pro illis, ad italicos scriptores evulgandos se convertit. Hinc orta est eorum scriptorum editio, qui, post renatas in Italis litteras, aureum seculi colorem referunt, atque omnium prioris aevi scriptorum elegantissimi habentur. Quo facto iure meritoque viri cordatiores hanc Patris voluntatem plurimi fecerunt, ad cuius exemplum, in tanta rerum perversitate, omnes confugere consueverunt.

XLVI.

Eius consilio comoediae latino sermone conscriptae Taurini aguntur.

Incredibili memoratu est, quanto opere latini sermonis castitatem ipse adiuverit, et altiora ingenia, dum multi pestilenti veluti sidere afflati, pravam scribendi rationem usurpassent, eleganti sint usi stilo, magnifico et sententiarum altitudine spectando. Primus in Subalpinis docuit suos, qui litteris latinis egregiam operam navarent, latinas fabulas, plautinis versibus conscriptas, publice actitare. Spectatores litteris invitabat, sapidissime latino eloquio conscriptis. Mira quidem res illis temporibus videbatur, quam omnes ad caelum laudibus efferebant, dictitantes, quod res publica minime tentaret, privatum suo apte ingenio atque impensis ausum esse. Complures gymnasio alumni, ex consilio praescriptoque magistrorum, alacres ac frequentissimi ad spectaculum adcurrerant, eoque ipso quod aderant, spiritus actoribus addebant.

Quo facto nullis difficultatibus retardatus, eo potissimum contendebat, ut litterae latinae ita laeque ab stirpe iam similes in itala gente simul coalescerent.

Pater, ad caelestia spectans, totus fuit in recta

puerorum institutione; hac in re ingenium et tempus insumendum curavit. Et quoniam nullius infortunium a se alienum putavit, rarius omnino, et dum nodo si patriae caritas aut religionis studium postularet, de rebus quae ad politice[m] pertinent, sermonem inserit. Huic sane consilio mordicus itemque religiose alumni sui adhaerent.

XLVII.

**Virgines Deo devotas puellis educandis
instituendisque instituit.**

Immortali operi, quod ab omnibus late gentibus maxime laudatur, mox manum animumque alacer admovit. Iamdiu a Deo optabat, ut, si eius sic ferret voluntas, puellis etiam opitulari posset, quomodo pueris colendis opem tulisset. Veritus, ne in messem alienam falcem iniiceret, diu multumque dubitavit. Saepe, uti nobis dicebat, in somnis puellas rogitan-tes audire sibi videbatur, ut etiam de ipsis curam haberet, quam fratribus adhiberet, et novum sic miseris perfugium aperiret, in tam magna rerum perturbatione versantibus. Quin ipsa Virgo rem com-
probare visa est.

Cum enim Varagine aegrotaret, tempus opportunum advenisse ratus, aedes, quas antea *Mornese* qui vicus est amenissimus in Aquensibus, ad puerorum commodum construxerat, divino veluti ausu instinctus, sacris virginibus destinavit. Itaque, ut puellis rite instituendis optime consulere[t], in animo fuit devotam virginum familiam instituere, cui a Maria Adiutrice nomen indidit, ut, ex institutis Patris, ad pietatem excoltae, diebus festis in disciplinam puellas aevo grandiores colligerent, quae profestis adsiduo opere in officinis distinerentur. Haec domus, quae passim vulgo *Oratorio festivo*

adpellatur, habet aediculam hortosque instructos ad diversandum diebus feriatis. Saepe sita est haud procul ab urbe, saepe in media urbe; superatis rerum difficultatibus, placidissimo more pietati indulgent. Hae puellae Deo devotae, primum sacro vinculo simul coniunctae, mirum in modum, voluntate similes sunt inter se se et magistrae. Ita tamen omnes in eodem imitando virtutis genere versantur, cum sit ipsis alte persuasum, tandiu genus illud agendi studiumque victuras, quamdiu Patris vivet imitatio. Eis in primis praefuit Maria Mazzarello, multis virtutibus praedita, quae Patris vestigiis insistens, mansuetudine et misericordia clara, dando, sublevando, ignoscendo, apud omnes gratiam adeptam, familiam suam augeri vidit fructusque saluberrimos ubique reddere.

XLVIII.

**Suos in Americam meridi-
onalem primum mittit.**

Omnes fere Patris vitae dies benefactis, in genus humanum collatis, computare possim. At maiora mihi describenda manent, quae hisce temporibus simul inchoavit, profligavitque. Vel a teneris unguiculis, divino spiritu afflatus, pueros ad pietatem colere, ut supra memoravi, ac caelestia instituta pro viribus docere, in deliciis habuit. Quibus factis, vix sacerdotio auctus erat, ad Indias potissimum respiciens, externas expeditiones, populis ad christianam sapientiam colendis, mente tacite volutare coepit. Anno demum saeculi elapsi septuagesimo quinto, magna quidem animi voluptate, admirantibus omnibus, primam paravit, adveniente rite Pontifice Maximo, sacram religiosorum virorum expeditionem, ad illam Americae meridionalis par-

tem, quae vulgo *Argentina* adpellatur. In immensa huiusce regionis parte, quae ad flumen nigrum pertinet, latissimis illis desertisque locis, complures hominum agrestium multitudines peregre vagabantur, quae venatu potissimum vivebant et piscatu vel raptu; infesti identidem impressionem in urbes facere omniaque depopulari atque diripere. Ibi Argentini, ut se se ab improborum saevitia vindicarent, armis atque excidiis omnia vastabant, et ubi solitudinem fecerant, pacem adpellabant. Verum, adiuvantibus superis, incredibili religiosi hominis constantia atque pietate, Patagoniam, quae ita vocabatur regio, pacifice obtinuerunt, animorumque ferocitate domita, ad christianam sapientiam adduxerunt. Atque ita rudes illi populi, ingenio, linguis, disciplinis, moribus dissoni, divino numine afflati, in unum consensum cultumque coalescunt.

XLIX.

Galliam ingreditur.

Quo tempore Americam australem Salesiani sodales petebant, Pater, ut multorum voluntati obsequeretur, tempus adesse tamen putavit et in Galliam contendere, ut pueris, inopia laborantibus, operam suam rite praestaret. Tunc, adnitentibus sodalibus Vincentianis, qui pauperibus domi consulere consuescunt, primas Nicaeae ad Varum aedes extruxit, ubi complura honeste et laudabiliter gesta, brevi Salesianorum nomen atque novam ab ipsis invectam puerorum instituendorum rationem, recte testata sunt. Haec domus pueris rite colendis in litteris atque in artibus, ita pietate et disciplina civibus placuit ac commendata est, ut, iis opitulantis, facilius in Galliae institutis nostris principem ponere haud dubitaveris. Quod enim

Augustae Taurinorum, quod Florentiae in Italis Pater, profusa animi amplitudine perficiendum curaverat, Nicaeae quoque, operibus in dies ampliatis, et in officinis addito cultu omnique instrumento ex recentiorum inventis, factum est, ut nihil hae opera pulchrius esse atque ornatius. Quamobrem et Massilienses benigno hospitio sodales Salesianos acceperunt, ad disciplinas artesque in pueris caste et nitide promovendas. Cum primum Massiliae domum Pater invisit, magnam sibi obsequii significationem comparavit, et multi, qui honoris gratia eum adiverant, modestiam hominis, orisque dulcedinem ac sanetitatem admirabantur. Et, praeter omnium opinionem, ad sidera Patrem ferebant, et magni quoque aestimabant in sua lingua claudicantem; qui si gramatice aliquando loquebatur, gallice numquam. Eius tamen vocabula, italica saepius nota distincta, non modo non irridebant, sed et arguta habebant, et sapide in magnis hominum conventibus, gallica venustate commentabantur. In Patre hominem pluris quam civitatem admirabantur.

L.

Solaturus infirmum, Tholoniam petit.

Est Tholonia, altera apud Gallos, classibus fidissima statio. Ibi prima stipendia meruit clarissimisque gestis inclaruit dux copiarum Napoleo, qui mox, perpetuis victoriis de hostibus relatis, ad suprema rerum in Europa gubernacula pervenit.

Huc se contulit Pater a curione invitatus, ut familiam consolaretur, quae miserum in modum adlaborabat, ob adversam filii unici valetudinem. Hic adolescens, septemdecim annorum, animum ab humanis cupiditatibus alienum exhibens, multis virtutibus exornatus, cum iam certos et suaves

fructus ostenderet, in gravem morbum implicitus, de parentum maerore unice lamentabatur. Cum primum Patrem cognovit, ea est illum benevolentia prosecutus, ut exinde semper in oculis ferret et tamquam parentem adamaret. Et quamquam mors subita longiorem vitam suis inviderat, a patre promitti voluit, nomine suo, adoptaturum se esse orphanos, qui in aedibus potissimum Romanis ad pietatem colerentur. Sic in animis suis amicitia firmissimas radices posuit, ut aeterna maneret. Adolescens moriens parentes solabatur adfirmans beatas ita ipsi coelitum sedes reserari. Memoriam virtutum eius et parentum in egenos munificentiam, atque in primis in Templo extruendo Romae, Divino Jesu Christi Cordi sacro, in vulgus Pater edidit, eorumque virtutes in exemplum portendit.

LI.

**Novus religionis spiritus, eius opera,
effunditur.**

Semel atque iterum, devexa iam aetate, adpetente hieme, cum complures omnium gentium beatiore, aëris dulcedine adlecti, peterent Nicaeam ad Varum, Pater, suis omnia fausta precatus, in Galliam contendit. Eo potissimum nomine illuc se conferebat, ut, Deo adiuvante, in pauperum levamen pauculos illi seponerent nummos, quos in res ludicras et voluptuarias multi profunderent. Plerique vero mitissimum eius ingenium ac sollicitudinem in pauperes admirati, rebus afflictis alacres subveniebant. Beata etiam Dei Parens, eius intentis sollers favebat, eademque auspice, ipse expectabat, ut quam protinus animi multorum in suum obsequium coalescerent et in auxilium promptis muneribus. Qui quidem, in amplissimis opibus versantes,

stipem effusa in eum liberalitate, universae familiae profuturam conferebant. Eum invicta fide praeditum atque ardenti religionis sanctos studio referentem, undique praedicabant, et Pater, accepta occasione, in animis religionem revocabat, et christianos patres respicere iubebat, ut eorum vestigia relegentes, strenui ad fidem catholicam ingrederentur. Et Beata Virgine Opitulante, multi e diuturnis morbis recreati, gratias Deo agunt eiusque famulo multas habent et referunt; nec desunt, qui, e recto vitae tramite aberrantes, ad bonam frugem paenitentes redeant. Adsunt et qui doleant, quod filii, relicta bona vivendi ratione, genio indulgeant; ab ipso enim postulant, ut pro ipsis preces ad Deum effundat ac in portum salutis reduces faciat. Sic vividus religionis ardor et caritatis, omnibus admirantibus, novusque coelestis spiritus effunditur, qui omnia suscitavit, omnia trahit, omnia in meliorem formam redigit.

LII.

Lutetias Parisiorum contendit.

Haecenus, in illa modo Galliarum regione versatus erat, quae ad mare Ligusticum pertinet, quasi animo pertimesceret Lutetiam Parisiorum contendere. Quin imo, compellantibus atque molientibus, ut aliquando Galliarum caput inviseret, respondere solebat: « Nondum venit tempus! » Tandem, labente anno millesimo octingentesimo tertio et octogesimo, postquam diu Nicaeae ac Massiliae est moratus, quo omnes, ex consuetudine, ad eum alacriores undique adveniebant, ex improvviso, divino quodammodo spiritu actus, suos Augustae Taurinorum paucissimis monet, se Parisios petere. Non dubito, quin multi, qui Patrem diutius ac commodius in tam celebri atque immensa urbe

commerantem sequi velint, et amplissimis verbis me commemorare. Nusquam melius adparuit Patrem opus divinum esse adgressum, divinoque unice consilio, omnia prospere evenisse. In hanc urbem eum est secutus Michaël Rua Taurinensis.

LIII.

Brevis de Michaële Rua memoria.

Opportunam nactus occasionem, optimum factu reputo, nonnulla obiter delibare, de hoc primo Patris filio, eodemque fidissimo socio ac successore. Ipse Pater eius virtutes mirum in modum ad sidera ferebat, admiratus, in uno homine tam esse multas virtutes tamque diversas natura. Omnium ditissimus erat, ut Pater diceret: « Si mihi Deus hominem effingere concessisset adiutorem in opere obeundo, alacriorem sapientioremq; haud potuissem excogitare nec maiorem consequi ». Ita enim divinitus est acerrimo ingenio praeditus, ut rapidissime gymnasii curriculo emenso, philosophiae ac Theologiae alacriter sapienterque incubuerit. Sacerdotio auctus, et publice gramatices magistri nomine insigniter decoratus, at semper omnibus in exemplum elucescens, brevi tempore ab urbe Taurinensium excessit, ut primo ephebeo praeesset, quod Pater antea Mirabelli apud Casale Sancti Evasii aperuerat. Ita illic se sanctissime gessit, ut alter vulgo Pater diceretur.

Ambos vero sanctissimos posterius vocarunt. Voluntate enim similes fuerunt, mutuo virtutum extiterunt magistri: tamen uterque est in eodem imitando virtutis genere versatus; eorumque tamdiu aemulatio vixit, quamdiu illud exemplar agendi studiumque vixit. Et post Parentis obitum, totus in eius exemplis Michaël in dies inclaruit.

LIV.

Improbis eius labor Lutetiae Parisiorum.

Statim ut parentem civitas Lutetia accepit, eius opera magni fuit. Itaque nemini erat iis temporibus dubium, quin si abfuisset Michaël, illam socii epistolarum multitudinem quae undique Patri dabantur numquam solvere potuissent! Omnibus brevi rebus ipse praefuit, eiusque omnia arbitrio gesta sunt. Nullam habuit invidiam, magnaque fuit gloria. Multa ei simul agenda erant, in primis cura immani epistolarum acceptarum multitudini rescribendi. Nonnullos ad se iuvenes alacres advocavit, eisque munus litterarum conscribendarum commisit. Erant pene innumerae, et paucis diebus post, mirabili admodum industria omniumque sollicitudine, eius potissimum opera expediebantur. Ad haec, comis et dulcis alloquio, est adcurrentibus solatium, Patrique auxilium. Sic Lutetiae ipse proximum, post Patrem, locum in re salesiana tenuit. Qua re fiebat, ut omnium oculos quotiescumque in publicum prodisset, ad se converteret, neque ei par quisquam domi putaretur; ad omnes enim res aptus consiliique plenus, disertus, enim in primis dicendo valet, et cum tempus posceret, laboriosus, patiens, neque causa subesset, quare animi laborem pertimesceret. Admirabilis sane vir, qui unus, tot virtutibus insignis, rem Patris omnibus probabilem exhibuit. Subtilis, acutus, brevis, sententiis magis quam verbis abundans, brevi, omnium sermone per urbem percrebuit. Denique hic fuit alter a Patre in Salesiana familia ita, ut proximus esset patri legifero. Sentio orationem meam utriusque cultu colorari.

LV.

Parisiorum in Patrem benevolentia.

Per tres circiter hebdomadas mansit Pater in urbe, perinsigni Galliarum capite. Omnes enim qui maxime virtutibus pollent, quibus curae virtus est atque veneranda, alacres conveniunt apud suavissimum hospitem, qui insignem olim caritate virum, sanctum Vincentium a Paulo, graphice refert. Et quoniam totus est pro pueris tutandis, exemplum se perpetuum omnibus transmisit pietatis in Deum, eximiae in pueros liberalitatis, receptus aperuit pueris inopia laborantibus, undique ditissimae mulieres, data opera, sanctissimum virum adfluunt. Et vir lenitatis, virtutis laude clarissimus, invicto animo, improbos hominum concursus sustinet. Ut christiani ad apostolorum pedes, religione adducti, opes suas ultro profundebant, viro sanctissimo Parisii in re angusta versanti, latis muneribus, opitulantur, rogantes, ut in portum aliquando reduces faceret. Erant conspicuae matronae, erant et pauperes humilis subsellii mulieres et opifices, qui rebantur nihil gratius Augustae Matri contingere, quam si videret angustias hominis ditiorum pietate levari.

Quantum in illis erat, Patri incommoda lenire studebant, et pauperiores pauxillum aurum suis sepositum sumptibus, libenti animo, dedicabant. Incredibili civium advenarumque frequentia circumfusum, integras dies insumit, ut omnes humaniter accipiat, soletur, atque nonnullos ad meliorem frugem redigat. Namque, sic ferente Dei voluntate, ne signa deessent, ubi virtus eius enitesceret, factum est, ut nonnulli, gravi morbo impliciti, eius precibus a morbo recrearentur; et alii, divino numine tacti,

abdicatis erroribus, ad sapientiam catholicam redirent. Cives, admirati, quod Maria Auxiliatrix devotum sibi hominem eximia sapientia imbuerat, gloriaque cumulaverat, opibus ei suis adstiterunt.

LVI.

Et regum soboles eum amore prosequitur.

Ipsi principes, fortunarum suarum nil sane anxii, in honorem Mariae Opiferae sospitaticis, et in subsidium Patris, aurum et pretiosissima quaeque largius effuderunt, divinam prope eius sapientiam et securitatem admirati. Hoc consilio munera ei deferebant, ut, ipso suffragante, aequus admissorum vindex, Deus, requiem curarum et laborum fessis Gallorum animis adferret. Quid mirum! si omnes tamquam hominem divinum sequerentur? Parisienses, eius sanctitatem praedicantes, eum in oculis ferre haud desierunt, nec inter aequales sanctissimum ponere dubitarunt. Quadam die, cum filius Aloysii Philippi Gallorum regis, cui erat titulus: *Conte di Parigi*, in domestico sacello ei sacrum facienti honeste inservire vellet, ipse modeste renuit dicens, lacrimis obortis: « Noli facere, rusticulum me olim fuisse, memento ». Deus, interea praesenti suo numine, ita ei adfuit, ut in tanta animorum commotione, omnia ei feliciter cederent. Mirum sane, quod tamdiu crebrior in dies fieret hominum concursus, ut simul certatim inferrent incommoda, dummodo eum cernere possent.

Maria Adiutrix sua veluti manu ad triumphum eum ducebat. Namque Eius nomine atque auxilio fretus, identidem vir Dei res sane miras patrabat. Neque homines, hac potissimum aetate, proni sunt ad miracula credenda. At puer, prae

LV.

Parisiorum in Patrem benevolentia.

Per tres circiter hebdomadas mansit Pater in urbe, perinsigni Galliarum capite. Omnes enim qui maxime virtutibus pollent, quibus curae virtus est atque veneranda, alacres conveniunt apud suavissimum hospitem, qui insignem olim caritate virum, sanctum Vincentium a Paulo, graphice refert. Et quoniam totus est pro pueris tutandis, exemplum se perpetuum omnibus transmisit pietatis in Deum, eximiae in pueros liberalitatis, receptus aperuit pueris inopia laborantibus, undique ditissimae mulieres, data opera, sanctissimum virum adfluunt. Et vir lenitatis, virtutis laude clarissimus, invicto animo, improbos hominum concursus sustinet. Ut christiani ad apostolorum pedes, religione adducti, opes suas ultro profundebant, viro sanctissimo Parisii in re angusta versanti, latis muneribus, opitulantur, rogantes, ut in portum aliquando reduces faceret. Erant conspicuae matronae, erant et pauperes humilis subsellii mulieres et opifices, qui rebantur nihil gratius Augustae Matri contingere, quam si videret angustias hominis ditiorum pietate levari.

Quantum in illis erat, Patri incommoda lenire studebant, et pauperiores pauxillum aurum suis sepositum sumptibus, libenti animo, dedicabant. Incredibili civium advenarumque frequentia circumfusis, integras dies insumit, ut omnes humaniter accipiat, soletur, atque nonnullos ad meliorem frugem redigat. Namque, sic ferente Dei voluntate, ne signa deessent, ubi virtus eius enitesceret, factum est, ut nonnulli, gravi morbo impliciti, eius precibus a morbo recrearentur; et alii, divino numine tacti,

abdicatis erroribus, ad sapientiam catholicam redirent. Cives, admirati, quod Maria Auxiliatrix devotum sibi hominem eximia sapientia imbuerat, gloriaque cumulaverat, opibus ei suis adstiterunt.

LVI.

Et regum soboles eum amore prosequitur.

Ipsi principes, fortunarum suarum nil sane anxii, in honorem Mariae Opiferae sospitatricis, et in subsidium Patris, aurum et pretiosissima quaeque largius effuderunt, divinam prope eius sapientiam et securitatem admirati. Hoc consilio munera ei deferebant, ut, ipso suffragante, aequus admissorum vindex, Deus, requiem curarum et laborum fessis Gallorum animis adferret. Quid mirum! si omnes tamquam hominem divinum sequerentur? Parisienses, eius sanctitatem praedicantes, eum in oculis ferre haud desierunt, nec inter aequales sanctissimum ponere dubitarunt. Quadam die, cum filius Aloysii Philippi Gallorum regis, cui erat titulus: *Comte di Parigi*, in domestico sacello ei sacrum facienti honeste inservire vellet, ipse modeste renuit dicens, lacrimis obortis: «Noli facere, rusticulum me olim fuisse, memento». Deus, interea praesenti suo numine, ita ei adfuit, ut in tanta animorum commotione, omnia ei feliciter cederent. Mirum sane, quod tamdiu crebrior in dies fieret hominum concursus, ut simul certatim inferrent incommoda, dummodo eum cernere possent.

Maria Adiutrix sua veluti manu ad triumphum eum ducebat. Namque Eius nomine atque auxilio fretus, identidem vir Dei res sane miras patrabat. Neque homines, hac potissimum aetate, proni sunt ad miracula credenda. At pur, prae

ceteris, gravi morbo correptus, cum iam ultima religionis solamina recepisset, quasi ex improvviso recreatus, praeter omnium expectationem, Viro Dei rem divinam facienti, ex eius monitu, ministravit. Oh! vere fuit Ordinis ille decus, princeps et semita nostri!

LVII.

Adsidia Gallorum benevolentia.

Quadam die, Pater, ad Sanctae Mariae Magdalenaee, in media fere urbe, rogatus ultro orationem ad populum habuit. Incredibilis fuit clarissimorum virorum concursus, et ipse Carolus Martialis Lavigerie, Archiepiscopus Cartaginiensis idemque Cardinalis, christianae sapientiae sollertissimus vindex apud Algeriae gentes, adesse voluit. Eius verba, etiamsi peregrinum sermonem redolebant, at quoniam eximia erant pietate adspersa, mirum in modum omnibus fuerunt accepta, et celerrime a scriptoribus relata, in vulgus edita fuerunt: « Ita, aiebant, apostoli praedicare solebant ».

Cum autem, illa aetate, complures ex diversis Galliae civitatibus, Romam peterent, ut Pontificem Maximum, strenuum religionis adsertorem, in summo rerum certamine versantem, amore ac reverentia prosequerentur, ultro volentes ad Augustam Taurinorum devertebant, ut erga sanctissimum hominem obsequium suum demonstrarent. Quod quidem saepius in annum, datis temporibus, fieri solebat. Verum, memoratu dignissimum aestumo, frigescente hieme, Henricum Guilbert, Archiepiscopum Parisiorum eundemque Cardinalem, ab Urbe redeuntem, Augustae Taurinorum moratum esse, ut Patrem, graviter aegrotantem inviseret et praesentis alloquio solaretur. Profec-

urus, cum, humi provolutus, adprecaretur, ut ipsi suo nomine benediceret, Pater adlacrilians, primum renuit, demum, more sanctorum, convenit, ut bellule et sapienter mutuo benedicerentur. Ut vero animum suum promeret in clerum populumque parisiensem, qui eum benevolentia muneribusque erat prosecutus, eis adlacrilians benedixit, cunctaque a Deo est plurimis verbis adprecatus.

LVIII.

Mira in domo Barcinonensi adparitio.

Vix paululum domi quievit, cum iterum impiger de itinere ad Hispanos cogitavit. Antequam vero tam longinque se conferret, multa gessit, et complures domos aperuit. Primum, et mirum in modum ac prope divinitus, ephebea sua in Hispania invisit, quodque scitu dignum esse admodum dixeris. Quadam nocte, ex improvviso, Rectori domus adparuit, eiusque somnum abrumpens, ut ipsum pedibus sequeretur, imperiosius monuit. Deinde, tamquam loci cognitor, ei praecedat, et in cubiculum ingressus, tres pueros dormientes digito designat, dicens: « Ecce tres lupos, domui funestissimos, quos quamprimum expelles. Scito enim, hi sunt moribus improbi, suorumque sociorum malis exemplis ». Expergefactus, et sudore madidus, cum ipse in cubiculo staret, visum se vidisse ratus, rem in tempus differri posse optimum putavit. At, paucis post diebus, maturate operandum esse graviter divinitus monuit, et litteris etiam atque etiam Pater ab Urbe Taurinensium excitavit. Tunc divinum esse consilium hac in re admiratus, non iam vanis ingeniis opus trahendum statuit, quin imo, omnibus dubiis posthabitis, mandata per somnium accepta diligenter persolvit.

LIX.

In Hispaniam proficiscitur. — Magna hominum commotio. — Templum in monte « Tibi dabo » aedificare cogitat.

Adpetente igitur mense februario, anno millesimo octingentesimo sexto et octogesimo, praeter omnium opinionem, in Hispaniam contendere statuit. Ita enim consulere placuit, ut tandem adsiduis illorum optatis responderet, qui tamdiu illic rem suam, ipsius gratia, opera et consilio insigniter adiuvissent. Deus in hoc itinere ei praesenti numine adstitit; ita multos labores impigre toleravit, et incolumis tot incommoda valetudinis sustinuit.

Omnis enim civitas Barcelona ei adveniendi obvia fuit, omniaque fausta adprecata. Brevi post tempore, alloquio ac pietate, ita Hispanos sibi benevolentia devinxit, ut omnes eum adire vellent et aegre ab eius latere recederent. Hominum enim multitudo undique irruebat, eumque graviter ita premebat, ut gravatim, pressantibus omnibus undequaque, vix aliquid facere posset, neque se publice ostenderet. Tunc, cunctis adsentientibus, cautum est, ut inter aedium septa, complures identidem cogerentur, quos ipse, in editiore parte positus, elata voce alloqueretur, omniaque fausta precatus, eos cruce ritu signatos dimitteret. In tanta hominum frequentia animorumque tumultu, nihil admodum adversi accidit, et omnes, nullo labore, ex paucorum arbitrio, diu multumque per integrum diem silentes, divinum virum videndi opportunitatem ultro expectabant.

Ille quamvis esset negotiis pressus, improbisque prope laboribus obrutus, ut vix paululum oculis quietem concederet, omnibus exemplo mansuetu-

dinis prae lucebat, admirantibus quam benigno alloquio obvium quemque exciperet, moestis esset solatio et summa pietate in Deum et Mariam Virginem Opiferam. Complures, ruenti orbi salutem efflagitantes, virtute Augustae Matris confisi, triumphum Christiani nominis expectantes, ei montem urbi proximum, cui est nomen *Tibi dabo*, ut ibi templum aedificaretur, Cordi Iesu dicatum, volentes ultro donarunt.

Ita memoria adventus eius ad posteros prorogatur, necnon Hispanorum religio, et devotio erga Cor Iesu divinissimum, quod tandem inferni draconis caput proterat, ecclesiam filiosque eius appetentis.

LX.

Londini in Anglia domum aperit.

Ruit hora: Pater, in patriam regressus, volens, pro viribus, maius obsequium praestare Deo, novas sacras expeditiones ad exterarum gentes praeparavit, et domus pro pueris alendis educandisque, apud nos aedificavit atque adauxit. Hoc anno labente, nihil prius sibi agendum putavit quam ut, Deo adiuvante, opportunitatem expectaret freti Britannici transeundi, atque in Angliam vehementer a bonis omnibus expetitam domum excitare. Summo enim studio ad Angliam iamdiu contendebat. Ita religionis acerbitatem levatum iri sperabat, et propheticum nuncium Dominici Savii melius comprobatum. Parvulam primum aedem Sacro Iesu Cordi dicatam, in obsequium Beatae Virginis Auxiliatricis, libenter condidit. Quod quidem magnas omnibus spes produxit. Quam enim omnia e consilio fluere coeperunt! Immensa illa civitas, totius imperii caput, incredibili omnium laetitia, novum templum est brevi admirata. Tunc primum Sacra

Virginis imago, magna pompa, vicatim ducta est, solemnium ritu, innumera civium multitudine prosequente. Et Virgo Maria, nive candidior, intestinis odiis ablegatis, hominum studia in Christum eiusque Vicarium incendat, omnesque deerrantes ad unum summi Pastoris ovile reducat. Paulo post, et virgines Mariae Adiutrici devotae illuc sunt secutae, ut populares puellae christianos mores docerentur et alacri studio religionem profiterentur. Hoc tempore, dux Norfolk, regio sanguine altus et religione catholica illustrior, Patris fama accitus, Taurinum petiit, magno apparatu, ut Patrem inviseret et eius precibus se suosque commendaret.

LXI.

Florentiae collegium et aedem extruit.

Erat Florentiae, ea aetate, clarissima mulier, nobili loco nata, *Uguccione della Gherardesca* nomine, pietate illustris ac bonis operibus. Apud illam Pater saepissime divertere consueverat; quae eum materna prope benevolentia prosequabatur. Verum si alii Patris religionem mirabantur, alii in pueros insignem caritatem, ipsa prae ceteris virtutem plurimis verbis commendabat. Puer, quem unice diligebat, gravi morbo correptus, in eo erat ut animam efflaret. Ei morienti adfuit Pater, et munere divino fretus, ex improvviso a diuturno morbo recreavit. Saepe antea Pater Florentiam petierat, multamque civium admirationem excitaverat. At innumerae continuo difficultates oriebantur, ne quid boni actu compleret. Tunc vero mirabili rei eventu commota civitas, in unum inivit consilium, ut, aere collato, et Florentiae vir sanctus domum aperiret, quae ex ipsius mente praescriptoque pueris praesertim inserviret. Sic divina veluti virgula excitatae

aedes adstiterunt, satis amplae ac commodiores, studiis artibusque procurandis. Unum deerat, ut innumeris incommodis superatis, et templum haud indignum, illa artibus clarissima civitate erigeretur.

Nunc demum, inconsultis hominum nisibus superatis, qui imprudenter bestias Apocalypsis referentes, christianae sapientiae fundamenta cornibus incursare non dubitabant, templum Sacrae Familiae sacratum, solemnibus caeremoniis rite est dedicatum.

LXII.

Eius studiorum ratio.

Haud abs re esse puto, quoniam Patris consilium tenderet in mira studiorum ratione, quam sanctissime apud nos instaurare ausus est. Constat enim apud omnes, quoad ei vita suppeditavit, pueros, quos Deus ei erudiendos traderet, christiano more admodum instruxisse. Ad hoc, omni vitae tempore, diligentissime et peramanter contendit. Quam ob rem, illud potissimum sibi proposuit, ut in pueros institutione, veterem disciplinam tantummodo instauraret, ad novorum temporum rationem redactam. Abhinc enim aliquot annos recens quaedam studiorum ratio publica auctoritate invecata est, ut sapiens veterum doctrina pessumdaretur. Ac propterea, ut, pro viribus, studiis nostris hac in re laborantibus prospiceret, consilium fuit illos magistros adire, qui recens studiorum regimen cum antiquo optime cooptarent. Sic primum eius alumni scholas privatas adibant, ubi, egregiis adhibitis magistris, litterae in primis latinae, quae tunc temporis pestilenti sidere erant afflatae, purius colerentur; ea mente, ut cum vix potuisset, auctis

domi magisteriis, pueri latinæ litteras doctius arriperent, et apta institutione ad virtutem colerent.

Gloria hæc eius fuit, in ipsis rerum difficultatibus, animum suorum sustulisse, atque invicta fortitudine, adversariorum audaciam fregisse, Italosque confirmasse, quorum interea spes omnis in eo sita fuit. Hinc eius felicitas fuit, statuisset ut, magis Dei Mater ab origine labis exors coleretur, eiusdem suffragante auxilio, expectare, ut quam citissime animi omnium in eius obsequium coalescerent.

LXIII.

Salesianæ Societatis institutio.

Mirum in modum, divino solum auxilio confusus, in bonis in arduis rebus, Beatæ Mariæ Virginis devotissimus, æquam in utraque fortuna mentem servavit. Suorum quoque fidem, vel inter iniustas criminationes, vindicavit. Qui tantam virtutem admirati, vel publicum amoris gratique animi documentum exstare voluerunt, quod parem atroci tempori animum in promptu habuit.

Ab initio operis eae res in Subalpinis agitabantur, quæ mox omnium ferme Itatorum quietem perturbarunt. Iam motus et seditiones apud nos, miserima omnia, quibus patres nostri interfuerunt, ominabantur. Quaedam philosophorum placita in scholis agitata, ab incautis ad multitudinem traduntur, dum interea factiosi homines, callide iisdem abutentes, ad libidinem explendam, atroces in religionis maiestatem cooriuntur. Nefarii homines per frequentissima loca vadunt, Romanos Pontifices obtrectant, et cathedram Petri Apostoli adgrediuntur, quam per XIX secula divinitus stantem venti undique reflantes nec labefectare potuerunt nec loco dimovere.

Ut res, cui totus incubuit, altiores radices ageret, et suam ipse erga Pontifices Maximos reverentiam ostenderet, religiosorum familiam instituere statuit, quæ eodem consilio sarta tecta ecclesiæ iura servaret, certa cuilibet se obiectare periculo, quam vel tantillum ab officio recedere. Quapropter, data opera, sacrorum administratos, ad exemplar vitæ sanctioris, pietate, doctrina insignes, optime in se animatos effinxit.

Hanc familiam vocari voluit Societatem Sancti Francisci Salesii.

LXIV.

Futura de suis praesagit.

Divino spiritu identidem afflatus, multa praedixit, quæ mirum in modum eventus comprobavit. Quadam die, circumstantibus nobis, et primas admodum scholas adeuntibus, dixit: *unus ex vobis Episcopus erit!* Admiratio et stupor primum nos pervasit, mox labentibus annis, res in desuetudinem paulatim abiit. Multis post annis, et alii alio dilapsi, Ioannem Cagliero, Episcopum designatum accepimus. Eique alia securissime in aevum ad futura ominatus est. Sic Aloysio Lasagna, qui decus alter fuit atque ornamentum nostræ Societatis, proximum honorem nuntiavit. Proficiscenti enim ad exteras expeditiones populis ad religionem excolendis, capsulam ea lege tradidit, ut modo inter navigandum illam resignaret. Quam cum multo post solvisset, crucem auream, gemmis distinctam clarissimis, invenit cum verbis: « Secundo Salesianorum Episcopo ».

Sed mirum sane prae ceteris esse videtur, ac dignissimum quod memoriae hominum tradatur, quod Augusto Czartoriski, natione polono, regali que

sanguine edito, Salesianorum familiam ingressuro protulit: « Tu olim sacerdos eris, imo et polonorum apostolus ».

Hic vero multis gravibusque morbis tentatus, et annis iam grandior, ut laicus haberetur, postulavit. At praeter opinionem sui que ipsius spem, sacerdotio auctus, mirum in modum, complures vel absens, suo admodum nomine, ad nos remotae illius regionis adolescentes, incredibili omnium laetitia, advocavit.

LXV.

Divino munere Poloniam ingreditur.

Ne hac in re sim infinitus, haec obiter memorabo. Pater ipse, ita ferente Dei voluntate, in Poloniam sic suos invexit. Singularis exempli sacerdos quidam, florente aetate, oculis ita laborabat, ut timeret ne quantocius aeterna nocte damnaretur. Vim attamen morbi diuturni invicto animo perpressus, insolabiliter dolens, magno Beatae Mariae Virginis auxilio fretus, in tanta rerum difficultate, Augustam Taurinorum petere statuit, ut, suffragante Patre, ad salutem pristinam rediret. Pater eum honeste exceptit, et bonis verbis est hortatus. « Videbis ipse, ait, verissime dictum, neminem unquam ad Christi Matrem confugisse, quin voti compos abiret. Tu autem aliquando acerbo morbo recreatus, in patria enixis precibus M. Auxiliatricem invoca, eiusque cultum inter Polonos maxime effundere stude. Ipsa, volens, propitia, te, clientem suum, totamque familiam, maiestati suae devotam praesenti ope sospitabit... »

Ille, ex Patris sententia, divinitus invaluit, atque in curia sua, quasi in magno orbis terrarum theatro, gloriam Dei Matris spectandam voluit.

Singulari enim pietatis et obsequii testimonio, templum *Oswiecim* B. M. V. ab inchoato aedificandum aere collato curavit; et ne, dum Christi Matrem ipse et filii colerent, parentem nostrum obliti viderentur, Salesianos adlexit, ut in templo egregiam navarent operam, et pueros ad litteras artesque, christianis moribus, excolerent. Sicque Salesianis aditus ad Poloniam divinitus patefactus fuit.

LXVI.

Henricum de Chambord morientem invisit.

Eodem fere tempore, Henricus V, sub nomine Comitum Chambord, desiderium et cura fidissima Gallis, qui firmiter atque acriter in regem respiciebant, gravissime apud Vindobonam aegrotabat. Tunc, qui rebus eius mordicus adhaerebant, quique in eo patriae salutem ponere consueverant, Deum precibus ambibant, ut a diuturno morbo recreatus, fessis tandem Gallorum animis requiem daret. Quamobrem, postquam Pater Parisios petiit, et insignem ob pietatem triumphum retulit, regis fautores, in novam spem adsurgentes, enixe efflagitarunt, ut Pater, omnibus rebus posthabitis, praesentia, alloquio, orationibus aegrotantem solaretur. Quem primo fortiter reluctantem clarissimi viri obstinationibus perpulerunt, ut principem ad incitas redactum precaturus inviseret, atque simul ad aspectum spem morienti reduceret atque animum ceterorum adaugeret. Rem prorsus incredibilem narro, namque aegrotus, divina prope virtute, meliusculum se habuit, atque ad bonam iterum valetudinem redire visus est. Patri profecturo, gratias omnibus agentibus, omniaque fausta adprecantibus, ipse comes valedixit, necnon familia incredibili laetitia gestiens. Utique melius habuisset, nisi, aliquot

post diebus, imprudens, omnibus circum obstantibus, laboriosae venationi adfuisset. At paulo post ex improviso, comes novo morbo tentatus, in suorum complexu, sanctissimis religionibus rite perfunctus, finem vitae placide adspexit.

Pater autem, cum rem maxime admiraremur, gratulantes propter honorem, candide respondit: « Mihi nihil gratius fuit atque acceptius, quam inter filios vivere eisque in omnibus interesse. Haec mihi gloria et virtus in aeternum ».

LXVII.

In Urbe templum Sacro Cordi Jesu aedificandum curat.

Interea, praeter omnium opinionem, in Urbem oculos animumque identidem vertebat: summo enim opere ad templum construendum susceperat Sacro Iesu Cordi dicatum. Erat totus in illo. Quin imo, vel inter rerum angustias, animi causa, subridentem dicere audivimus: « Ecclesiam dicunt magno in certamine versari et multis undique hostibus torqueri; credo equidem. In praesenti ecclesia me graviter persequitur ». Ludebat enim sapienter in verbo Ecclesiae, quae modo universum christianorum nomen significat, modo sacrarium.

Ut olim, totus in illo aedificando vel stans vel deambulans vel inter somnia, illud cogitare, illud re et consilio adiuvere. Quod Deus ad optatum exitum quam citissime perduxit. Identidem blandule dicebat. « Si vultis templum me adhuc praesente dicari, curare oportet ut primo labente mense maio omnia sint parata ». Operum magister, etiamsi non omnia semper ad voluntatem fluerent, atamen assidua diligentia, summoque studio, nec unquam tantae rei indormiendum esse reputans

in ipsa re exercenda operi incumbendum, haud secus atque optabat, statutis diebus, templum, quasi omnibus numeris expolitum, solemnibus caeremoniis, innumera civium multitudine, nomine et iure curiae donatum, rite dicatum fuit. Eum incredibili obsequio ac laetitia populus romanus exceperit, et castae religionis instauratorem salutavit et alacer in aedes feliciter invexit. Namque apud templum, amplissimam domum pueris alendis exercendisque extrui voluit, ubi quadringenti et amplius adolescentuli alerentur, et multi insuper diebus festis in disciplinam convenirent, qui profestis assiduo opere distinentur.

LXVIII.

Maximo apparatu dicatur. Sacris primus illacrimans operatur.

Templum hoc Romanum tertium Pater, Deo adiuvante, aere collecto, erexerat. Cum vero, quod tandem tantoque studio optaverat, perfecisset, ut miles gloriose rude donatus, ad altare sacrum facturus processit. Hinc inde complures adsunt fideles, admirati et dolentes, quod ipse pedibus laborans, incommodisque pene obrutus, lentus incederet simul et laetus, ut primus ex more sacrum piaculare pro benefactoribus ageret.

Illacrimans vero, et magna subito percussus admiratione, vix sacris operari potuisset, nisi fratres, qui honoris gratia ei celebranti aderant, verbis eum adhortarentur atque adiuverent. Tandem aegerrime ad finem pervenit. Gratiis Deo rite peractis, sodales illico ad eius latera adcurrerunt, curiose quaeritantes, quanam de causa, ipse tam copiose illacrimasset. « Haud possum, inquit Pater, haec vobis abscondere. Sacris hodie operaturus, uno veluti oculorum ictu, divino spiritu afflatus,

in patriam mente redii, et memini quae Beata Virgo mihi puerulo dulcissime aliquando facturum esse portendebat. Tunc veneratione percussus ac rerum omnium novitate, gratias Augustae Matri agere voluissem, eique amoris et grati animi pignus promere; sed adsiduis lacrimis impeditus vix aliquot verba protuli. Ipsa enim, praeter meam omniumque opinionem cuncta e consilio complevit. Quid restat? Ut Ipsa volens atque propitia me totamque Salesianorum domum maiestati suae devotam praesenti sospitet ope ».

LXIX.

A Leone XIII P. M. benevolentissime excipitur.

Antequam Augustam Taurinorum peteret, optimum factu putavit, Pontificem Maximum adire, qui tot eum beneficiis cumulaverat. Ad haec dicitare solebat: « Sic a Pontifice Maximo comiteum ad aeternitatem petam ».

Erat tunc Leo XIII P. M., verum orbis terrarum delictum, qui singulari ingenii vi atque virtutum nitore, petrianam sedem novis in dies honoribus condecoravit. In aedibus vaticanis est, iuxta temporum rationem, mirabile illud inventum quod *ascensore* Itali vocant, in hospitem decus, ut nobiliores ad Pontifices commodius adire possint.

Primus, ex privatis hominibus, ex ipsius Pontificis voluntate, hoc usus est beneficio cum nonnullis familiae suae. Pontifex M. eum eximia animi benevolentia accepit. Quem cum videret admodum defatigatum, ad latera sua assidere voluit et paternis sollicitudinibus cumulavit. Tum ad nostros conversus: « Eum maxime vobis commendo, inquit, eumque omnimode servate. Non est enim modo vester;

ad Pontificem Maximum pertinet, ad universum late orbem terrarum ».

At ipse, lacrimis obortis, totis membris commotus: « Pater Sancte, inquit, senex sum, et antequam in pace conquiescam, Te videre ultimum volui, gratias Tibi agere pro muneribus adsidue mihi meisque collatis, et nos nostraque bonitati tuae commendare ».

Pontifex M. valetudinis eius gravitate commotus, ei ad pedes pro viribus provoluto omnia fausta precatus est. Sic rebus suis rite perfectis, ipso die, sub vesperum, magna hominum multitudine circumseptus, qui gratulantes ei profecturo bonum iter adprecabantur, laetus discessit.

LXX.

**Cajetanus Alimonda Cardinalis
et Archiepiscopus Taurinensium.**

Augustae Taurinorum, magnis caeremoniis et novo civium advenarumque concursu, festum Mariae Adiutricis, solemni admodum apparatu, in nobili templo celebratum est. Complures videndi Patris studio, quem senio aegrotare pervulgabant, Augustam Urbem petierunt, et maius divino cultui decus, suo interventu cumularunt. Cum omnes circum de eius valetudine quererentur, ipse vero, suae senectutis veluti nescius, ac valetudinis incuriosior, in omnibus interesse curabat. Cives Taurinenses ac peregrini, per admirabile reverentiae amorisque signum, eum ex more quaerere ac prope modum irruere consueverunt. Ad haec, ultimos eius vitae dies solabatur Cajetanus Alimonda, immortalis ille Archiepiscopus Taurinensium idemque Cardinalis, qui identidem alloquio, obsequio et mira voluntatis significatione, eum colere publice solebat,

cui tantum, ut ita dicam, fuit verendus ut « *a nato plusquam non debeat ipse pater!* » Vir, acerrimo ingenio praeditus, aequum difficillimis temporibus animum adhibens, recentioris pravitatis errores iis voluminibus perculit, quae a nullo improborum irretita, ad extraneos terrarum fines perrumpunt in aeternum duratura. Hic saepissime Patrem invisere consuevit, atque ea animi devotione, ut nos admirati Eius maximas gratias ageremus, quod, adiuvante Deo, patri amatissimo tot angustiis laboribusque presso, esset auxilio. Longe vero alia erat Dei voluntas.

LXXI.

Prima mortis proximae indicia.

Etiamsi multis aegritudinis signis opprimi prope videretur, spes tamen nobis aliqua manebat, ob integram mentis sanitatem, et in primis ob enixas undique preces, quibus omnes Beatam Virginem Adiutricem perpetuae ambibant, ut apud nos remaneret atque floresceret. Nec adventantis mortis indicia deerant. Namque rogatus, ut sacerdotem, sodalem suum carissimum, quocum coniunctissime vixerat, moriturum inviseret, adiit; tum proficiscens sic arcano verbo est eum solatus: « Ne timueris, inquit, nam alium mox in extremo certamine lucrantem adiuvabis! » Hic paulo post convaluit, et ad Patris morientis latera iterum atque iterum adstitit. Gravi novissime morbo mulctatus, ad se cunctos advocat filios, qui eum summo studio prosequuntur, et eximia caritate eum colunt omniumque virtutum magistrum venerantur. Et in primis Ioannes Cagliero Episcopus mox Cardinalis, ex extrema Patagoniae regione profectus, Taurinum petiit, divina quadam voce excitatus: « Taurini, inquit, Pater moritur; i, propera, ne, te

absente, diem obeat supremum... » Eos leniter oculis verbisque salutat, eosque videre gaudet, atque ad maiora hortatur pro Deo certamina. « Manete in vocatione, inquit, nolite timere, Deus praesenti vobis aderit auxilio ». Hoc tempore, Leonem XIII Pontificem Maximum, incredibili totius laetitia orbis terrarum, quinquagesimum Sacerdotii sui annum agentem, Episcopi complures ex dissitis regionibus veneraturi, Romam, veluti in communem omnium patriam, summo studio contendunt. Pontifex Maximus, qui christianorum animos advocerat, quod, admirantibus omnibus, res aequo moderaretur imperio, labores, certamina ultro sustineret, sicque catholici nominis dignitatem libertatemque tueretur, identidem agrotanti ultro benedixit. Episcopos vero Roma redeuntes, nobiles viros equitesque torquatos, nos quotidie domum invisuros cernebamus, ut Patrem infirmum re animisque praeconi in obsequium inviserent.

LXXII.

Placidissime obiit.

Verum aerumnosus ille dies, qui ultimus fuit suavissimo Patri, celerrime propinquabat. Cum primum per urbem Taurinensium vox effusa est, in gravem morbum eum incidisse et magno in periculo versari, illico facies urbis mutari, et cives tristiores huc illuc discurrere, et maerore confecti ultima de operibus Patris quaeque pertimescere. Multi festinantes ad aedes queritantes confluunt, atque de validudine patris anxii, confertissimi, stipati, ab omnibus solliciti percunctantur. Diarii omnes quotidie multa de infirmo referunt, et cupidiores in dies, maiora expetunt, ac vicissim per cives effundunt. Omnes maestri sunt, et magno dolore perculsi plu-

rima cogitant; dignioresque, quibus potestas fandi cum ipso datur, proficiscentes, virtutem hominis admirati, nos dolentes verbis solantur, et rem nostram caelesti numine innixam, augeri in dies atque firmari iubent. Interea infirmus, placidissime in Deo conquiescens, proximum vitae finem adspicit. Quotidie corpore Christi recreatur, et in tanta animorum perturbatione, pacem nobis et aequitatem suadet et postulat ut beatas sibi precibus reseremus coelitem sedes. Ne quid solatii deesset, sanctissimis religionibus rite publice perfungi voluit. Optimi parentis casum dolentes filii cariores suprema obsequii signa ei persolvunt, atque, etiamsi refricato vulnere inconsolabiles, adsunt, dum sacrum Christi Corpus in Viaticum adfertur. Novissimos eius sermones in animis nostris aeternum mansuros taciti auscultavimus. Magnū in aedibus silentium, quod modo publica omnium precatio interrupit. Morientem sanctius ac reverentius salutare omnibus ordinatim permittitur. Quae iuvenum pietas, quae clericorum sacerdotumque religio, qui contemplationem eius virtutum memorantes, ad exemplum excitantur! Septuagenario maior sancte quievit pridie calendas februarii anno MDCCCLXXXVIII.

LXXIII.

Luctus in eius obitu.

Patris obitus non modo fuit maerori innumerae Salesianorum soboli, sed universo fere orbi terrarum attulit luctum. In multis enim terris vir desideratissimus aedes in puerorum solatium, receptusque pueris inopia laborantibus extruxerat, et Dei amorem, religionis studium cum perpetua in egenos liberalitate coniunxerat. Eius propterea nomen idem erat

atque sacerdos praeditus sanctissimo exemplo, singulari consilio, lenitate, industria conspicuus. Integer vitae, invictus a cupiditatibus animus, in unica puerorum benevolentia tutius conquiescens, et impotentium factiosorum, sui temporis audaciam, christiana patientia, fregit. Pro sua modestia modico funeris apparatu contentus, pauperum more adferri voluerat; sed e meridie cum primum per urbem pervulgatur sanctissimi viri corpus in templo proponi, undique cives proni in obsequium ac venerabundi concurrunt. Sacra veste indutus, facibus infinitis cereisque corruscantibus, sedet ut dormiens in maiore sella ad omnium commodum positus, incredibili civium frequentia usque ad noctem colitur. Postridie vir popularis, ab universis populi ordinibus, solemnissime et praeter omnium opinionem, per moerentem urbem inter pios psalmorum cantus ferebatur, non tam funeris quam triumphi pompa. Visus est ut ita dicam, populus Taurinensis libamenta honorum caelestium viro sanctissimo detulisse. Complures officinae clauduntur cum carmine: *Ob civitatis luctum!* Funus enim eius acerbum fuit patriae, grave bonis omnibus, luctuosum suis, tam cari capitis desiderio infelicissimis. Quot vota piorum hinc inde exaudiuntur, quot moerentium lacrimae!

Populus memorans, eum iam inter caelites receptum, uti sanctum praedicat, adsiduis quoque precibus uti patronum invocat; quem ardenti virtute ad Deum evectum esse confidit.

LXXIV.

Conditur in collegio Valsalice ad urbem posito.

Iamdiu Pater amice dicere solebat: « Sit vobis notum: ego in sepulcretum commune efferri minime volo! » Nos quoque, ut domi apud nos eius

exuviae manerent, maximo opere studebamus. Multis vero difficultatibus occurrendum erat. In primis haud nos latebat, recentius publice editum esse, ne quis private neque in templo humaretur. Nihil itaque nobis durius nihilque hoc decreto gravius. Tandem, Deo adiuvante, praeter omnium opinionem, consilio potissimum viri, nomini christiano infensissimi, qui, ea tempestate, ad suprema rerum gubernacula sedebat, Pater ut adferretur permittitur in collegium extra urbem cui est titulus: *Val-salice*. Sic illuc modesto apparatu ac iucundissimo animo adfertur. Nihil enim pulcrius, nihil carius nobis in tanta rerum acerbitate contingere poterat.

LXXV.

Auguria in posterum.

Hoc nempe nomine permissum est, ut ibi Pater primum tumularetur. Brevis et simplex est ei titulus impositus, quemadmodum defunctum addecet, de quo agatur, ut ei aliquando coelestium honores decernantur.

Omnibus mirum sane visum est, divinoque muneris adtribuendum, quod tam atroci tempore ac religioni infenso, fuisset concessum sic in aedibus Patrem humari. Sic, praeter omnium expectationem, sacrae Patris legiferi exuviae erunt ubi et alumnorum scholae, qui in spem nostram succrescentes, sub continua ipsius disciplina, sacram doctrinam accipiunt, universae Salesianorum familiae aliquando profuturam. Hi enim dum sacris litteris incumbunt, adsertores quodammodo salesianae gloriae, animisque singulari spe recreati, fratribus suppetias mittere festinant, et quotidie ad paternam sanctimoniam revocantur.

Maria Adiutrix, quam adsiduis precibus ambiunt, Rosa in septis Hierichus educata, mysticae liliū vallis, molles identidem rosas fundat, quarum sertis odoratis, amore, fide, pietate monumentum Patris exornet.

Sic discant aequales, discant et posteri, alumnorum pietatem in Deum et in Dei Matrem tam altis esse defixam radicibus, ut nulla temporum serie, nec voce impiorum, neque scriptis nec reproborum nequitia, queat labefactari.

LXXVI.

Ad eius sepulcrum concurritur.

Interea memoria Patris eiusque virtus claris saepe signis firmata, in dies magis inter gentes effunditur. Quam vere aptatur versus Leonis XIII memoriae eius: « Incedit merita frontem redimita corona! »

Ad eius enim sepulcrum, veluti ad perenne pietatis documentum, negotiis posthabitis, et securi quid hominum improbitas calumniatur, congregari non dubitant, ob spectatam in pueros fidem ac singularem hominis voluntatem, qui memoria nostra, sanctorum exempla secutus, iuventutem per religionis studium ad meliorem frugem atque ad politiores litteras perduxit. Eius opera, incredibili laetitia gestientes, adolescentes pietate in Deum atque in patriam caritate revirescentes, priora religionis tempora nobis retulerunt.

Eius spiritus suis diu alumnis intersit! Atque utinam celerius reviviscant tantae virtutis igniculi, qui praeclarum patriae lumen polliceantur. Quod faxit Deus!

LXXVII.

Hominis ingenium.

Humili loco natus ita omnibus in exemplum eluxit, ut civili sapientia et rerum usu praestantissimus haberetur. Quo nomine omnia quae ad nobilissimum quemque spectant et fieri consueverunt, optime novit, et arctissime fecit, aliosque consilio, atque, arrepta occasione, re adiuvaré non desit. Mitissimo insuper ingenio, lenitate et industria alumnos excoluit, eisque effigiem animi sui relinquere omni opere studuit. Remotis deliciis, in multa alumnorum et necessariorum benevolentia conquirevit. Sanctitatis laudem egregia in omnes liberalitate cumulavit. Nullis honoribus auctus, ingenio, doctrina praeclarus, crevit amicitiiis; aliis modo profuturus, non sibi. Laboris adeo patiens, ut devexa iam aetate, diem saepe noctemque rebus gerendis continuaret. Religioni serviens, lautioris fortunae illecebras officio posthabuit, et qualem se praestare instituerat, talem usque ad exitum servavit. Ut in pueris ipse colendis tutandisque, singulari fuit industria, ita pueri eum pro viribus redamarunt.

Alieni quoque huiusmodi hominem luxerunt, eumque Italiae maxime invidentes, sanctissimum appellarunt, omnibusque laudibus dignissimum uno ore sunt professi.

INDEX

I	Joannis infantia	Fol. 9
II	Prima virtutis indicia	> 10
III	Quomodo suos ad pietatem excolit	> 10
IV	Mirum pueri somnium	> 11
V	Ob fratris invidiam domo excedit	> 11
VI	Domino diligentissime inservit	> 12
VII	Studiorum causa Cherium contendit	> 13
VIII	Litteris incumbit et amicos ad salutem quaerit	> 13
IX	Quibus artibus suos a periculis arcet	> 14
X	Sacrorum alumnus ad meliora tendit	> 15
XI	De Aloysio Comollo	> 16
XII	Ad Pacis non habebis pacem	> 16
XIII	In Seminario	> 17
XIV	Sacerdotio initiatur	> 18
XV	Gravissima matris monita	> 19
XVI	Ad S. Francisci Assisiatis, Bartholomaeus Garelli	> 20
XVII	Puerorum coetum adpellat Oratorium	> 21
XVIII	Ad Nosocomium a Marchionissa Baroli conditum. — Nova in quiete adparitio	> 21
XIX	Pueros primus novam arithmetices rationem docet	> 22
XX	Errat per diversa urbis loca et apud Valdoceum sistit	> 23
XXI	Prima rerum perturbatio	> 24
XXII	Amenis reputatur. In gravem morbum implicitur	> 25
XXIII	De matre Margarita	> 26
XXIV	Comites sibi adiungere studet	> 27
XXV	Aedes extruit filiis alendis atque instituendis. A Valdensium insidiis incolumis evadit	> 27
XXVI	Plurimos edit libros, mira eruditione ac sapientia adprobatissimos	> 28
XXVII	Aedes in diem puerorum numero et pietate florescunt	> 29
XXVIII	Dominicus Savio	> 30
XXIX	Funera in regia praesagit	> 31
XXX	Pius IX Pontifex Maximus	> 32
XXXI	Romam primum invisit	> 33
XXXII	Magna haereticorum perturbatio	> 34
XXXIII	Bellum Gallorum et Subalpinorum in Austriacos	> 35
XXXIV	Aedem Mariae Auxiliatricis extruit	> 36
XXXV	Romam iterum invisit	> 37
XXXVI	Magnis honoribus excipitur	> 38

XXXVII	Omnēs una voce sanctum eum praedicant	Fol. 39	>	40
XXXVIII	Aedes Mariae solemniter dicatur		>	41
XXXIX	Quare aedem aedificavit		>	42
XL	Josephi Cotta insignis pietas		>	43
XLI	Quomodo Maria sibi templum extruit		>	44
XLII	Ad Sancti Petri Arenarii apud Ligures		>	45
XLIII	Alaxii et Varagine collegia aperit		>	45
XLIV	Magna aedium accessio		>	46
XLV	Latinos scriptores atque italos evulgat		>	46
XLVI	Eius consilio comoediae latino sermone conscrip- tae Taurini aguntur		>	47
XLVII	Virgines Deo devotas puellis educandis insti- tuendisque instituit		>	48
XLVIII	Suos in Americam meridionalem primum mittit		>	49
XLIX	Galliam ingreditur		>	50
L	Solaturus infirmum, Tholoniam petit		>	51
LI	Novus religionis spiritus, eius opera, effunditur		>	52
LII	Lutetias Parisiorum contendit		>	53
LIII	Brevis de Michaële Rua memoria		>	54
LIV	Improbis eius labor Lutetiae Parisiorum		>	55
LV	Parisiorum in Patrem benevolentia		>	56
LVI	Et regum soboles eum amore prosequitur		>	57
LVII	Adsidua Gallorum benevolentia		>	58
LVIII	Mira in domo Barcinonensi adparitio		>	59
LIX	In Hispaniam proficiscitur. — Magua hominum commotio. — Templum in monte « Tibi dabo » aedificare cogitat		>	60
LX	Londini in Anglia domum aperit		>	61
LXI	Florentiae collegium et aedem extruit		>	62
LXII	Eius studiorum ratio		>	63
LXIII	Salesianae Societatis institutio		>	64
LXIV	Futura de suis praesagit		>	65
LXV	Divino munere Poloniam ingreditur		>	66
LXVI	Henricum de Chambord morientem invisit		>	67
LXVII	In Urbe templum S. C. Jesu aedificandum curat		>	68
LXVIII	Maximo adparatu dicatur. — Sacris primus illa- crimans operatur		>	69
LXIX	A Leone XIII P. M. benevolentissime excipitur		>	70
LXX	Cajetanus Alimonda Cardinalis et Archiepiscopus Taurinensium		>	71
LXXI	Prima mortis proximae indicia		>	72
LXXII	Placidissime obiit		>	73
LXXIII	Luctus in eius obitu		>	74
LXXIV	Conditur in collegio Valsalice ad urbemposito		>	75
LXXV	Auguria in posterum		>	76
LXXVI	Ad eius sepulcrum concurritur		>	77
LXXVII	Hominis ingenium		>	78